

2
29
30
31
32
33
34
35



1671.

- 28^a, 6, 5^c Simon, Johann, Georgius: Insa patrinorum.
3 Exempl. 1671: 1678.
- 29^a, 6, 9, 2 Simon, Joh. Georg: De juribus obstetricum,
4 Exempl. 1671, 1678: 1740.
30. Stranckius, Johann, Collegii Juridici decanus: ad lectio-
nem cursoriam Sphaerici Wagneri innotat.
31. Stranckius, Johann: Collegii Juridici... Decanus:
ad lectionem cursoriam Faubi Vogleri innotat.
32. Stranckius, Johann, Collegii Juridici... Decanus:
ad Dissertationem inang. Johannis Corbi Maevii innotat.
33. Stranckius, Johann, Collegii Juridici... Decanus:
ad disputationem inang. Johannis Schilperi innotat.
34. Stranckius, Johann, Collegii Juridici... Decanus:
ad Disputationem inang. Philippo Corbiacii Beeri innotat.
- 35^a, 1^a Stranckius, Johann: Dissertationum aedilicium prior,
quae est de reprobatoria actione.

1671


36. Strauchius, Johannes: Dissertationum aesthetarum posteriorum, continens reliquas duas actiones, aestimatoriam 44
et in factum. 45
37. Strauchius, Johannes: Consideratio de eo, quod certo loco dari oportet.
38. Strauchius, Joh.: De modo appellandi ad cameram Imperialem.
- 39^{a, b, c} Strauchius, Johannes: De appignorationibus Imperialis Libris. 3 Sept. 1715, 1742^o 1743.
40. Strauchius, Fr.: De austregis sive privilegiatis Sacris Rom. Imp. procerum instantiis.
- 41^{a, b} Strauchius, Johannes: De jure maritorum in uxores usque uxores.
- 42^{a, b} Strauchius, Johannes: Disputatio publica et fil. XLVIII Libri VI Cod. de personis incertis constabularum Respondit 2 Sept. 1671 et semel edita 1714. cum brevis de vita Strauchii narratione auctore Laurentio Andrea Hamburgero.

43. Strauchius, Joh. : Praesentium Imperii peris Iura
sistit.

44. Strauchius, Johann. : De hostenditiis.

45. Strauchius, Johannes : De actis publicis sine iudr.
cialibus





o
C
J
J
A
2
D
o
o



DISSERTATIO IVRIS PVBLICI

DE

OPPIGNORATIONIBVS
IMPERIALIBVS

(Von Reichs = Verpfändungen)

Ad

Capitulationis Cæsareæ §. 3, 9. & novissimæ
§. 12. Nec non ad Pacificationis articulum V. §. 9.

QVAM

PRAESIDE

DN. IOANNE STRAVCHIO

ICto, Serenissimorum Saxoniae Ducum, nec non Celsissimi
Principis, Dn. FERDINANDI ALBERTI, Ducis Brunsvicensis & Lune-
burgensis &c. Confiliario, Facultatis Iuridicæ Seniore, Curiae Pro-
vincialis atque Scabinatus Assessore gravissimo

DOMINO PATRONO, DOCTORE AC HOSPITE
SVO AETERNVM COLENDO, SVSPICIENDO

publico examini submittit


IOANNES GEORGIVS A BROESIGKE
EQ. MISN.

Ad diem 27. Sept. M DC LXXI

VITEMBERGAE, IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICH
recusa 1743



Senae 1671.



Fragment of text from the adjacent page, including the characters '22' and '12' at the top, and a vertical list of letters 'h', 'e', 't', 's', 'a', 'r', 't' below.





DE

OPPIGNORATIONIBVS RERVM IMPERII.

De oppignorationibus Imperialibus acturus, operæ pretium facere videor, si prius naturam pignoris, ut sic, remota lege positiva consideravero. Est autem pignus nihil aliud, quam rei traditio a debitore facta creditori, ad fidem seu securitatem debiti huic faciendam. Initium ergo hic actus jure Gent. a traditione habuit, & ita intelligo *ff. creditor. ult. l. quib. mod. re contr. obl. l. contractus 23. ibi: pignori acceptum. ff. de R. J. l. cum vitiose. 25. ff. de Pignorib. & potest exemplo esse Judas in libro Geneseos, qui pacta mercede pro usura corporis cum Thamare nuru pignus dedit recepturus id, hædo misso.*

Pignoris natura in se, remota lege positiva;

A 2

II. Hæc

transfert
possessio-
nem.

II. Hæc traditio sua natura apta nata est transferre pignoris in creditorem possessionem, saltem naturalem, id est, detentionem. *l. cum sortis 35. §. ult. de pignor. act. l. pignus. 9. C. eod.* Quod vel inde patet, quod nihil creditor per servum sic pignori datum acquirere potest. *l. pen. §. creditor. ff. qui satisd. cog. l. servi nomine. 16. l. non solum 33. §. qui pignori ff. de Usurpat. lib. 1. §. per servum corporaliter. ff. de acquir. poss.* quod secus est in servo, quem vere possidemus. Is enim acquirit possessori duabus ex causis, ex re possessoris, & operis suis. *§. 4. Inst. per quas person.*

Jure civili
quandoque
dominium
transfere-
batur.

Fiducia,
quid?

III. At jure Romani Civili plus quandoque quam possessio, jure Prætorio minus transferri poterat. Nam ex Lege XII. Tabb. etiam dominium transferebatur, idque per æs & libram seu mancipationem. Quod genus pignores FIDUCIA appellabatur. Eaque lege dabatur, ut soluta ad diem pecunia pignus remanciparetur, non soluta sine ulla denunciatione vendi posset. *Paulus 2. sentent. 13. §. 5.* Quod in pignore secus erat. Quippe creditor elapso die denunciare prius debitori debebat an pignus luere vellet. *l. 78. §. 6. π. ad Sct. Trebell. Paulus 2. sentent. tit. de pignor. §. 1. Cujac. ad tit. 13. lib. 2. sentent. Pauli.* Unde consequens fuit, ut creditor per servum sic pignori acceptum nihil acquireret, sed acquisitum sortem debiti minuebat, ut docet *Paulus lib. 2. Sentent. tit. de Lege Commissoria. 13. sentent. 2.* & ibi Cujacius. Est enim fiducia omnis *πεποιθησις*, ut docet *Jacobus Godofredus*, temporaria, ubi res in aliquem transfertur, vel alicui mancipatur non plene & perfecte, & ut sic dicam, irrevocabiliter, sed ut remancipare postea cogatur accipiens. Ita emancipatio filii fiducia contracta olim a patre

tre fieri dicebatur sub remanicipationis lege. Gellius *lib. 5. c. 19. L. 2. §. 15. π. ad SCt. Tert. Ulpian. tit. 10. Cajus 1. tit. 16. §. ult.* Et ideo extraneus emtor dicebatur fiducia- rius Cajus *d. s. ult.* Inde & fiduciarii tutores, ab eadem fiducia contracta in emancipatione *l. 4. π. de legit. tut. Ulpianus tit. 1. de tutel. §. 5. Inst. de fiduc. tut.* Eadem ratione & fiduciarius hæres usurpatur *l. 46. & 67. in f. π. ad Trebel.* cujus commissum est fidei, ut hereditatem re- stituar. Sic fiduciaria hereditas. *l. 6. §. 1. de reb. cred. & familia.*

IV. Iure porro Prætorio ne possessionem quidem transferre necesse fuit. Pacto enim contrahitur. *l. si tibi. 17. §. de pignore. ff. de Pact.* quo pignoris genere maxi- me utimur in rebus soli, & incorporalibus, quas tradi vel transferri multo gravius est, quam res mobiles. Quo jure Prætorio introducto non adeo traditio pignoris frequentari cœpit, quæ ante hoc edictum omnino ne- cessaria erat, pignore tum ab hypotheca hoc solo di- stance, quod illud esset rei mobilis, hæc immobilis. *l. 238. de V. 8.* Sed postea, cum ex edicto Prætoris idem juris esse cœpit, sive pignus esse traditum, sive nuda conven- tione obligatum, tunc alia emer sit differentia, ut pignus omnino esset, quod esset traditum sive mobile, sive immo- bile: hypotheca, quæ non tradita, itidem mobilis esset, an immobilis. *l. si rem 9. §. proprie. ff. de pign. act. l. 4. ff. de pignor. & hypoth. §. item Serviana. l. de Actio. Hortens. ad tit. de Pignor. & hypoth.*

Jure Præ-
torio Ro-
mano,
quid juris
e pignore.

V. Sed revertamur ad jus civile Romanum, quo pignus, nempe fiducia per mancipationem in proprie- tatem creditoris ibat. Ejus multa mentio apud Cicer. *Topic.*

De fiducia,
ubi agatur?

Topic. 4. & lib. 3. Offic. Oratione pro Flacco, & lib. 13. Ept. stol. 56. itemque apud Paulum JCrum lib. 1. Sentent. tit. 9. §. 18. lib. 5. Sentent. 10. lib. 2. Sent. tit. 4. in rubrica. Et tit. de Lege commissoria. 13. cum septem primis §. §. & tit. 7. §. ult. & lib. 3. Sentent. tit. 6. §. 1. & tit. 23. §. 4. Apud Auctorum collationis legum Mosaicarum tit. 2. n. 2. Apud Boëthium in Top. Cicer. lib. 4. p. 813. Isidorum 5. Orig. c. 21. in Legibus Vesigoticis & Longobardicis. Nimirum hæc erat Fiducia, cum res pro pecunia mutuo accepta creditori mancipabatur, vel in jure cedebatur, & sic quodammodo vendebatur, dominio in creditorem transcripto statim ipsa traditione, non vi demum legis commissoriæ revocabiliter tamen. Ita recte Hottom. Epitoma. Jur. lib. 20. itemque Cujacius ad lib. 2. Sentent. Pauli tit. 13. & c. 1. in pr. de feudo dato in vicem L. Commiss. Itemque Ant. Faber de error. pragmat. decade 21. Err. 1. Quibus inscite Salmasius obloquitur tractatu de modo Usurarum p. 579. ut & Mæsterius tractatu de L. Commiss. §. 2. Probatur autem hæc sententia, quod nimirum dominium fiduciæ in creditorem ita, uti diximus, fuerit translatum tam valide, tam clare ex his, quæ tradit Paulus lib. 2. Sent. tit. 13. §. 3. & tit. 6. §. 74. Boëthius in Top. Cic. Isidorus d. loc. & Interpretes Pauli ad 8. Sentent. tit. 6. §. 7. ut noctem in oculis circumferat, qui non agnoverit. Et hinc nimirum fiebat, ut debitor fiduciam creditori vendere non posset. Paulus 2. Sent. 13. §. 3. quia scilicet in dominio ejus jam esset: cum contra pignus a debitore creditori vendi possit, quia pignus manet in dominio debitoris, l. 12. ff. de distr. pign. ad quod Salmasius perperam excipit, inter fiduciam & pignus discrimen post d. l. 12. ex rescripto Principis introductam, ante eam fuisse nullum. Nam non animadvertit, JCrum Paulum post illam legem 12. scripisse. Hinc est quoque quod

Probatur
in fiducia
dominium
translatum.

Salmasius
refutatur.

quod creditor debitori, qui extraneo venditurus erat fiduciam, eam remancipare tenebatur. *d. §. 3.* ut doctè Wiffenbachius in Vindiciis thesium de Mutuo contra Salmasium *p. 192.* probat.

VI. Quod attinet Mæstertium, tanti profecto non est, ut a Cujacio & Fabro ejus causa discefferis. Videamus tamen argumenta. Et quod ait contradictionem implicare, ut eadem conventionione simul venditio & pignus contrahantur, tantum abest, Cujacium ut feriat, aut Fabrum, ut rem ipsam ne tangat quidem. Non enim loquuntur de conventionione, sed mancipatione, quæ est traditionis, non conventionis species, & modus transferendi dominii, qualis nulla est conventio. Non dicunt una eademque conventionione celebrari duos diversi generis contractus, realem, nempe pignus, & consensualem, venditionem, sed ajunt, quodam contractu pignoris celebrato rei proprietatem mancipatione, non nuda conventionione transferri. Qua vero ratione naturæ pignoris repugnet, vel contradictionem involvat, ut in dominium illud concedat creditoris, non video. Præsertim tot locis juris Romani id diserte statuentibus. Natura enim pignoris nihil aliud exigit, quam ut creditor crediti sui sit securus. At num securus redditur rei dominio in se translato? Imo hoc magis ei cautum est: Plus enim cautionis in re propria est, ejusque dominio, quam detentione rei alienæ nuda. Nihil ergo est, in quo dominium in re, revocabile præsertim, pignori repugnet. Quod porro ait, absurdum esse, ut eadem quantitas simul sit causa pignoris & pretium venditionis, non capio, quomodo & qua de quantitate prædicetur, quod sit causa pignoris & pretium venditionis: Quis pecuniam creditam fecerit causam pignoris? Neque enim efficiens

Mæstertium
refutatur.

ens est, neque materia, neque forma, neque finis. Sed nec magis pretium emtionis est, cum emtio nulla sit celebrata, licet negotium affine sit emtioni. Quantitas, id est, pecunia credita per se parit obligationem ex mutuo, non obligationem pignoris, etsi causa sine qua non pignoris dici posset, quatenus mutuo non contracto pignore non est opus. Pignus contrahitur reali suppositione, nec interest, quo supponitur medio, an data facultate nuda detinendi, an pro suo possidendi. Porro ad rem nihil facit, quod offerit §. 4. Quod debitor creditori fiduciam vendere non possit, sed alii, tradente Paulo *lib. 2. Recept. Sent. 13. §. 3.* Hinc autem concludere debitor eandem rem iterum alii vendere: Sed ignorans ipse Mæstertius responderet sibi, id ita esse, nisi prius illam a fiducia liberasset. Nimirum ita est, ut possit debitor fiduciam tertio vendere, necesse est, ut creditor eam remanciperet. Sed satis hac de re, nec Soli lumen commodare opus est.

VII. Fuit ergo omnino, quicquid Grammaticæ rei Doctor Salmasius scholicorum nugaliū spargat, ut Gellius loquitur *lib. 4. c. 1.* in fiducia & mancipatio & remancipatio. Quo nomine & iudicium fiduciæ dabatur, quod erat bonæ fidei, maximique momenti, in quo de fida fracta agebatur, hac formula concepta: *Ut inter bonos bene agier.* Vid. *Cic. pro Q. Roscio. & lib. 3. de Officiis. Auctorem collat. leg. Mosaic. tit. 10.* Inde etiam iudicium fiduciæ cum societate, tutela & rei uxoriæ actione conjungi videmus, in quibus omnibus res quidem transferuntur. Sed sub fiducia restituendi. Falsum proinde est, quod fiducia fuerit nihil aliud, quam hypo-

Salmasius
sedecies
errat circa
Fiducias,

theca rei immobilis. Falsus Salmasius, qui mancipationis & remancipationis nomina in pignoribus nusquam, in venditionibus tantum usurpata garrit. Falsissimum, in fiducia mancipationem non factam pure, & in præfenti, sed in diem, quando fiducia commissa esset ex lege commissoria. Quid enim absurdius, quam mancipationem in diem factam? Quid? actusne legitimos diem suscipere? quid denique legi commissoriæ cum fiducia? Sed non opus est diutius his immorari, cum præsertim jam dudum viri eruditissimi circa unam fiduciæ materiam errores non minus sedecim gravissimos Salmasii computaverint.

VIII. Porro non solum id genus pignoris, quæ fiducia dicebatur, statim ab initio ita contrahi poterat, ut dominium in creditorem iret, sed etiam aliis causarum figuris id agebatur ex post facto, ut debitor pignus ne reciperet. Et primo offert se species in *l. i. C. de pact. pign.* qua nisi intra certum tempus pecunia mutuo accepta solveretur, cessurum se creditori hypothecam promittit debitor. Quod pactum cum pacto commissorio non est confundendum. Quod facit post alios Carpovius *lib. 5. Respons. 12. n. 18.* Dn. Richterius *ad b. l. n. 5.* cum Pragmaticorum aliis, solenni errori confundentes hæc duo: *pignus creditorem vendere posse; & pignus creditori emtum dare.* Neque enim per hoc, quod ceditur hypotheca creditori, res debitoris creditori committitur, id est, in commissum cadit: sed hoc agitur, ut creditori sine denunciatione liceat pignus vendere. Cedere enim hypotheca non est facere, ut creditor ejus dominium consequatur, quod fit lege commissoria: Verum ut debitori ejus luendi amplius non sit

Aliæ factorii species, quibus pignus debitor non reciperet.

Quid sit, cedere hypotheca?

B

pote-



potestas. Quare recte Cujac. *ad l. 1. C. b. 1.* hoc pacto id agi, ut ad diem dictum non soluta pecunia creditor pignus suo jure distrahat, non vero ut id habeat jure emtionis pretio compensato cum debito, & superfluo redhibito. Nullo modo igitur agitur, ut venditum sit creditori vel in solutum datum pignus pro pretio arbitrio boni viri determinando, quod vult tamen etiam Dn. Brunnem. *ad d. l. 1.*

Alia species, qua pignus retinetur creditori.

Legis commissoriae effectus.

IX. Est tamen talis species in *l. 16. §. ult. ff. de Pignorib.* ubi ita pignoris vel hypothecae obligatio facta est, ut si intra certum tempus non sit soluta pecunia, jure emtionis possideat creditor rem justo pretio aestimandam. Quae species commissoria nec ipsa continet, sed est venditio conditionalis. Non enim res simpliciter creditori committitur, & ejus sit, uti sit commissoria, ita ut pignus in vicem crediti pleno & absoluto jure acquiratur: sed ab initio hoc agitur, ut res hac conditione, si debitor ad diem non solverit, tanti sit emta creditori, quanti pignus justo pretio suo die aestimabitur. At vero, ut dixi, in Commissoria non id tantum vertitur, ut debitor pignus suum amittat, sed & id, ut creditori ipsi hujus legis pignus pleno jure committatur, acquiratur, & a debitore in eum transferatur. Errat igitur & hic Carpzovius cum turba forensi, quod pactum commissorium tacite inesse credit huic speciei, & tantum propterea non inutile esse, quia non subsit deceptio in pretio. Rectius Dn. Johannes Philippi, JCrus celebris & fori experientissimus in Eclogis suis *p. 356. n. 13.* agnoscens hic minime subesse commissoriam, sed emtionem conditionalem ex pacto adjecto, de quo jam dixi.

X. Acce-

X. Accedamus ad Legem Commissoriam, quam Constantinus in pignore sustulit *l. i. C. Theod. de Commissoria rescindenda. l. ult. C. just. de pact. pign.* Constantinus, inquam. Sed primusne? an & antiquo jure jam olim prohibitam? Sane primus ille. Quod probatur ex Paulo libris Sententiarum, ubi titulus est de Lege Commissoria, non certe ut damnata sed licita. Deinde probatur ex ipsa *l. ult. C. de pact. pign.* ubi ait Constantinus, se pactum hoc improbare, non quia jure veteri prohibitum, sed quia creverit ejus asperitas. Denique apparet hoc ex reliquis hujus constitutionis partibus seu capitibus, puta ex *l. un. C. Theod. de infirm. pen. celib.* ex *l. 3. ad Sctum Claudian.* & *l. 3. de Exact.* quæ omnes unius constitutionis partes sunt, sub uno titulo Codicis Theodosiani, in quibus, imprimis autem *l. un. de infirm. pen. celib.* non agitur de jure veteri desueto in usum revocando, sed de veteri jure hætenus frequentato, nunc primum abrogando.

De Lege
commissoria ple-
nius.

XI. Non obstat, quod in *l. Aemilius Larianus 38. in fin. ff. de Minor.* habetur, legem Commissoriam Imperatori, nempe Antonino Caracallo, displicuisse. Loquitur enim Paulus de Lege Commissoria in venditionis contractu, nec omnino tamen improbata Caracallo, verum in specie illius legis duntaxat quæ tam præcepti contractui adjecta fuerat, ut recte Jacobus Godofredus. Sed huic sententiæ se opponit Jacobus Mastertius tract. de Lege Commissoria *quæst. 5.* Et (1) propter *l. Titius 34. ff. de Pign. act.* in qua non putat aliam subesse dubitandam rationem, quam quod videbatur pactum in legem commissoriam, quæ in pignoribus improbata esset, incidere. Quæ vero cum in casu Marcelli cessaret, responsum ibi

Mastertius
refutatur.

fuisse, conventionem subsistere. Sed hæc si dubitandi ratio fuit, oppido quam inepta fuit. Nam lex commissoria ut sit, non ex intervallo, sed statim initio contractus apponi debet, pretiumque ejus esse eadem quantitas, quæ debitori fuit credita: Hæc vero conventio dudum post contractum pignoris accessit, nec quicquam asperum continebat, ut loquitur de Lege Commissoria *l. ult. C. de pact. pign.* sed eo tempore interposita fuit, quo necessitas pecuniæ mutuo sumendæ creditorem non strangulabat. Sed nec quantitas crediti pretii loco in hoc casu fungi potuit, cum Jctus expresse dicat, conventum fuisse, ut certo pretio fundus creditori esset emtus. Quin igitur hæc dubitandi ratio fuerit, quod debitor putarit, pignore jam vendito & dominio translato sibi adhuc integrum esse, ut sortem & usuras offerret, venditionemque revocaret. Cum tamen tamdiu duntaxat jus offerendi locum habeat, quamdiu pignus duret. Quod vero durare amplius non possit, post acquisitum dominium creditori *l. pen. §. 1. ff. de Except. rei jud.* Sed relinquemus istam quæstionem, & reliqua argumenta Mæstertii ipsi disputationis aciei reservabimus.

Fiducia a
Constantino non abo-
lita,

XII. Ut ergo ad fiduciam redeamus, constare ex his jam potest male eam cum lege commissoria confundi. Quare nec a Constantino potuit aboleri *in l. ult. C. de pact. pign.* ubi commissoriam in pignore abolet, quod tamen Cujacio videtur. Nam & diu post Constantinum fiduciæ fit mentio, uti apud Ambrosium *in Tob. c. 12.* & Sidonium Apollinarem: Verum etiam ab Honorio Imp. *in l. 9. C. Theod. de infirm. his quæ sub Tyran.* Quare recte concludere mihi videor, quod de fiducia in Pandectas & Codicem a Justiniano nihil relatum sit, id non ea factum

factum esse ratione, quod lex commissoria a Constantino sublata fuerit, verum quod mancipationum solennia, quæ in fiducia interveniebant una cum ipsa rerum mancipi & nec mancipi differentia & aliis fiduciariis actibus & mancipationibus a Justiniano fuerint sublato, ut bene differit Jacobus Godofredus.

XIII. Ex his itaque constat, quam minime repugnet, naturæ pignoris, si id agatur, ut dominium in creditorem transeat. Quod si fieri potuit, favente Jurisprudencia Romana, quid est, quod Interpretes nostri ob hanc causam tantopere arietant jus nostrum Saxonicum? Quasi quod Romanis statuere licuit, id minus Saxonibus licere debeat. Ita vero statuit Saxo, ut habet Landrecht *lib. 2. art. 24.* ibi: ein ieglich Mann mag seines Guths mit Recht wohl ohnig und los werden, als ob er verkauft, versetzt etc. Textus Latinus: *unus quisque potest sua bona etiam jura amittere seu alienare, si ab eo obligentur.* Quam dispositionem Saxoniam frustra quidam iniquam neque ulli genti probatam fuisse sibi persuadet. Et si maxime Hebræorum, Atheniensium, Visigothorum, Longobardorum, Burgundiorum, Alemannorum, ad quas provocat, leges aliter statuunt, non tamen inde efficies, ne jus Saxonicum sit rationi consentaneum. Et tamen de plerisque hisce gentibus non video probatum esse, quod debebat probari. Sane *Exodi 22. vers. 26. & 27.* agitur non de pignore quolibet, sed vestimenti, ejusque unici, quod sit tegumentum cutis suæ, & in quo dormiat. Quæ circumstantiæ propriam decidendi rationem habent. Non ergo sequitur: Integumentum corporis, & quidem unicum, in quo dormiat, debitori est reddendum. E. jure divino nullo casu potest creditori res in fiduciam dari. Eadem ratio est de ceterarum gentium statutis, quorum

Jure Saxonico dominium pignoris tranfit in creditorem.

Defenditur J. Saxonicum.

rum etiam pleraque id non probant. Imprimis Longobardis fiduciam non fuisse incognitam nec inusitatam docet lex eorum tertia in fine. *tit. 15. lib. 2.*

Saxonibus
& aliis popu-
lis placuit con-
tra tertium posses-
sorem actionem
pro pignore non
dare.

XIV. Cum itaque jure Saxonico dominium pignoris in creditorem transeat, juris consequentia etiam fit, ut debitori contra tertium possessorem neque personalis neque realis actio concedatur, pro repetitione pignoris, etsi per Constitutiones Electorales aliud sancitum. Neque solis Saxonibus ita placuit in pignore, sed plurimis gentibus aliis ex quolibet contractu, ut non temere adversus tertium possessorem actionem porrigant. Ita statuto Ultrajectensium; si rem mobilem commodaveris, locaveris, isque vendiderit tertio bona fide accipienti, transit in accipientem dominium, denegata tibi rei vindicatione, ut ut absque tua voluntate alienata fuerit. Ant. Matthæi *paræmia 7. p. 222.* quod & Lubecæ & Hamburgo, illustribus civitatibus placuisse tradit Mævius *lib. 3. ad Jus Lubecense. art. 2. §. 1. & 2.* ubi rationem hujus juris axiomate Jurisprudentiæ Lubecensi proprio niti ait: *Hand muß Hand wahren.* Item: *Do jemand seinen Glauben gelassen, do muß er ihn wieder suchen;* id est, cujus semel quis fidem secutus est, res suas ei tradendo, eum in repetitione hujus rei sequi seu convenire necesse est. Idem placuisse in rebus locatis & commodatis Ruremundanæ Tetrarchiæ, & Antverpiensium civitati testatur idem Ant. Matthæi *d. loc.*

XV. Sed quorsum ista ubi de Oppignorationibus Imperialibus erat agendum? Nimirum ita munienda nobis fuit via, ut eo facilius cum de sensu Capitulationum Cæsareanarum, in quas se obligant Imperatores nostri,

stri, tum Pacificationis Westphalicæ justitia constare, quibus locis de oppignorationibus rerum Imperii agitur, possit.

XVI. Ut ergo jam tandem dicamus, quod ille ait, de tribus capellis, agemus de oppignoratione, per Capiculationes Cæsareas prohibita. Verba Capiculationis Caroli V. ita habent art. 9. Zudem und insonderheit sollen und wollen Wir dem Heil. Römischen Reiche und desselben Zugehörigen Churfürsten sämtlich, nichts hingeben, versprechen, verpfänden, versetzen, noch in andere wege veräußern oder beschweren, sondern uns auch aufs höchste bearbeiten, und allen möglichen Fleiß und Ernst fürwenden, daß jenige, so davon kommen, als verfallene Fürstenthumen, Herrschaften, und andere, auch confiscirete merckliche Güter, die zum theil in anderer frembder Nation Hände ungebührlicher Weise gewachsen, zum förderlichsten wieder darzu bringen, zueignen, auch dabey bleiben lassen, doch mániglich an seinen gegebenen Privilegien, Rechten und Gerechtigkeiten unschädlich. Summam hujus s. eleganter & concise more suo sic reddit Sleidanus *commentar. lib. 2.* Facultates Imperii neque distrahat, neque oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat, & quæ sunt ab aliis nationibus occupata vel ab Imperio divulsa bona primo quoque tempore recuperet, sic tamen ne quid fraud sit illis, qui vel privilegio vel jure nituntur.

XVII. Ubi tractandum, cui, quas res & quo alienationis titulo interdicatur alienare. Cui interdicitur, uno verbo expediri potest; Imperatori Romano Germanico, Quid ergo? Res, nimirum, Imperii. Illæ autem non

Oppignoratione rerum imperii prohibita.

Circa hanc prohibitionem de tribus agendum?

Cui &
quid pro-
hibitum.
Res Imperii
quoti-
plices.
Res priva-
tae.

non sunt unius generis, quædam enim sunt in Patrimo-
nio Principis, quas res privatas appellant Romani. Inde
Comes rerum privatarum *passim in utroque Codice.* Pri-
varum ararium *l. un. C. Theod. Qui a præb. riron.* priva-
tæ largitiones *l. ult. C. Theod. de Incorporat.* dicebantur
etiam privata, absolute, *l. ult. C. Theod. de Locat. fund. l. 120.*
C. Theod. de Decurion. l. 49. de Appellat. l. 18. de Palat. sacr.
larg. C. Theod. item res Cæsaris. Et ut Honorius & Theo-
dolus in l. 9. C. de Jure Fisci res dominica. Capitulares
Caroli M. reddunt proprium dominicum lib. 4. c. 34.
Theodoreus lib. 3. c. 12. Ἐλπίδι τῶν ἰδίων τῆ βασιλείας χει-
μάτων τε καὶ κτημάτων τὴν ὕγεμονίαν πεπιστευμένῳ. Κόμητα
δε περιβάτων τὸν τοιῶτων προσαγορευμένῳ εἰώθασιν Ῥωμαίοι. Greci
lib. 6. Basilic. τὸν Κόμητα τῆς ἰδιωτῆς περιείσας. ταῦτέστι τὸν Φροντισ-
τα τῶν πραγμάτων τῶν ἀφορισμένων εἰς τὰς ἰδίους χεῖρας τῆ βασιλείας.
Nimirum omnes illæ res, quæ in privato Principis
cujusvis patrimonio sunt, non quatenus est princeps,
sed ut est Carolus, Ludovicus, Leopoldus, & quæ vel
a Majoribus per hæreditates, contractus, jure belli,
vel aliis modis sibi acquiverat. De his Eginhardus
in vita Caroli, de Hilderico, ultimo e Merovingis Re-
ge. *Cum præter inutile Regis nomen, & precarium vite si-*
pendium, quod ei præfectus Aula, prout videbatur, exhibebat,
nihil aliud proprie possideret, quam unam & eam perparvi re-
ditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria mi-
nistrantes, atque obsequium exhibentes, pauca numerositatis
babebat. Theganus in vita Ludovici I. Erat Impera-
tor in tantum largus, ut villas regias, quæ erant sui, & avi &
avitavi fidelibus suis tradiderit in possessiones sempiternas.

XVIII. Quædam vero res & bona sunt Fisci, quæ
Res Fisci. Principi ad tuendam dignitatem & majestatem Impera-
toriam

toriam serviunt. Romanis res sacri ærarii, largitiones sacrae, thesauri Majestatis Imperatoriae 1. 2. C. de Palar. sacr. larg. 1. 1. C. de Quaestor. 1. 2. C. Ut dign. ord. serv. 1. 3. C. Ubi Senat. vel Clariss. Zosimus: Πετρόνιον ὁ τῶν Θεσαυρῶν πρῶτος. Julianus Imperator in Misopogone: οἱ ἐπιτροπῆσαντες τῆς Θεσαυρῆς ἐμῆς. Julius Firmicus lib 3. c. 8. qui omnes reditus regio thesaurosq; suæ habent fidei commissos. Sanctarum digestus opum partæq; per omnes

Divitiæ populos

ut loquitur Papinius lib. 3. Sylvarum, in lacrymis Etrusci. Sacras opes orbisque tributa appellat Claudianus, in Panegyrico de Manlii Theodori Consulatu. Hottom. Franco Gallia c. 8. & lib. 1. de antiquo jure Regni Gallia. c. 8. ubi ita scribit: Sciendum est antiquitus institutum fuisse, ut Francorum Regibus non modo fscalia illa jura, qualia Romanis Imperatoribus concessa erant, verum etiam certa fruenda prædia ad regiam suam dignitatem tuendam assignarentur, quæ barbaro vocabulo DEMANIVM Regium appellantur, plerumque autem DOMANIVM. Est enim Domanium Regium quasi Dos regni, quomodo Veteres dicebant dorem prædii, sive ut planius loquamur, quasi quidam ususfructus certarum possessionum regi ad tuendum dignitatis suæ splendorem attributus. Hæc Hottomanus. Quamvis non nesciam aliter ab aliis Domanium accipi.

Domani-
um.

XIX. Ex duobus hisce rerum generibus, quorum alterum recte res Imperatoris, alterum res Imperii, ut Galli res Coronæ, dixeris, non videtur prohibitio Capitulationis ad prius genus pertinere, quippe quod pleno jure Imperatoris est, ideoque plenam & summam ipsius pro sua voluntate alienandi potestatem habet. De potestatio-

Res priva-
tæ poterant
alienari.

Poterant &
res fiscales.

Bona fiscalina
privatorum,
erant fenda-
lia.

Alodium
quid?

Limneus no-
tatur.

steriori genere jam videamus. Sub Regibus seu Imperatoribus ante interregnum Francicis, Germaniæ imperantibus, quin licuerit Regi has quoque opes pro utilitate Regni alienare quo minus dubitem, facit quod tum temporis omnia prædia, quæ privati possidebant non minus, atque de rebus Principis dictum, aut propria erant aut fiscalia. Propria seu proprietates dicebantur, quæ nullius juri obnoxia erant, sed optimo maximo jure possidebantur, ideoque ad heredes transibant. Fiscalia vero, quæ beneficia, & fiscalina bona appellabantur, concedabantur ita a Rege, ut certis legibus servitiisque obnoxia cum vita accipientis finirentur. Et prioris generis prædia Teutonico nomine *ALODE* dicebantur liberi juris prædia, quæ nec fidem nec pensitationem deberent, ad differentiam beneficiorum fiscalinorum, quæ ceteriori tempore *Feoda* & *Feuda* dici cœperunt. *Vid. lib. 1. Capitular. cap. 132. lib. 3. c. 20. lib. 4. c. 28.* Johannes Octavus Pontifex Ludovico Regi *epistola 139.* de Bosonis filiabus, ut eis bona paterna redderentur: *Et pro nostro amore integritè ipsas proprietates, quas Vos Alodes dicitis, reddat.* Sic quoque hereditas passim *Alode* dicitur. *Lege Salica tit. 62. Lege Ribuariorum tit. 58. Marculfus lib. 2. c. 7.* Vide *Lindebrogii* congesta in glossario *LL. antiquarum*, voce, *Alode*, *Lydius* ad *Clemangem* glossario, *Bignonium*, ad *Marculsum pag. 251. 252. 272. 273.* *Wendelinus* glossario *Salico*, *Loccenium* antiquitatum *Sueo Gothicarum, pag. 162.* Et hæc est orthographia vocis, quæ tot locis veterum scriptorum, quotquot hanc vocem adducunt, probatur. Ut mirarer *Limneum* ad *Capitulationem Ferdinandi III. pag. m. 715.* scribere, *ne minem esse, qui orthographiam vocis norit, nisi scirem, Limneum* in lectione veterum scriptorum non fuisse verfa-

versatum, & siquidem eos quandoque citat, vel ex recentioribus descripsisse, vel ex Indicibus hausisse. Sed nec ratio ejus sana est. Quot enim vocum ortographia explorata est, quarum derivationem & vim non magis inde intelligimus. Mihi videtur vox esse composita, ex *Vel*, quod etiamnum durat, pro quod hodie *Alt*, & *ohd*, *oed*, *ed*, *possessio*, *bona*, quod hodie *Goed*, *Gut*, ut sit, ein alt väterlich *Gut*, *Erb*. *Stamm*. *Gut*. Hæc enim propria vocis & originaria significatio, qua cæteris bonis, ut ut non minus propriis opponitur apud scriptores, vide Marculfi formulas *lib. 2. c. 4. 6. & 9.* Itaque comparatis & adquisitis bonis opponitur *lib. 2. c. 7. tam de Alode, aut de comparato, vel de quolibet attracto. cap. 12. tam de Alode paterna, quam de comparato.* Incerti auctoris formulæ *LVII. tam quod Alode Parentum, quam ex meo contractu mihi obvenit. Et cap. 49. Formul. Roman. cap. 14. & 38.* Sed tandem & bona comparata cæperunt alodia dici, & generaliter omnis proprietates, ut observat ad capitula Francisc. Pithæus. Quemadmodum itaque nomine Alodii res singulorum propriæ, ita Fiscus, seu fisci nomen tum temporis usurpabatur, pro bonis a Fisco profectis, & Regis liberalitate alicui in beneficiis concessis Childebertus Rex apud Aimonium *lib. 2. c. 20. Basilica Sancti Vincentii Martyris Fiscum Isciacensem concedit. Sangalensis lib. 1. c. 14. cum illo fisco, vel curte, illa Abbatia fidelem vel Ecclesia, tam bonum vel meliorem vasallum fidelem mihi facio.* Sigebertus Gemblacensis ad annum *DCCCLXXXVI. Persuadet, ut ab Imperatore Imperiales fiscos ad libitum suum sibi addipeteret. Et anno DCCCXC Arnulfus patruo suo, ex Imperatore etiam necessariis egeni fiscos in Alemannia delegavit. Marculphus lib. 1. c. 2. in formula concessionis Regiæ: Aut super proprietate, aut super*

Super fisco. Junge Capitul. Caroli lib. 3. c. 82. Idem Arnolphus Episcopatus Eichstadiensi monasterium Hafensried donavit.

XX. Ex quo apparet, etiam illa bona, quæ pro tuendo statu Reges possidebant, alienari & in beneficium, seu feudum dari potuisse. Quis dubitet, quin & oppignorari? Gregorius Turonensis lib. 9. c. 38. *Sunneseigillus & Gallomagnus, privati a rebus, quas a fisco meruerant, in exilium retruduntur.* Capitulares Caroli M. lib. 3. c. 19. *Auditum habemus, qualiter & Comites & alii homines, qui nostra beneficia habere videntur, comparant sibi proprietates, de ipso nostro beneficio.*

Sub Imp.
Saxonis Ma-
gistratum
officia patri-
monialia
facta.

XXI. Haud secus sub Imperatoribus Saxonis rem habuisse, imo magis auxisse inde arguitur, quod Ducibus & Comitibus Imperii, qui hactenus nudi magistratus fuerant, Ducatus & Comitatus ceperint ab Imperatoribus in feudum dari. Ita enim B. Rhenanus lib. 2. *rerum Germanicarum p. m. 181.* *Primus sub veteribus Francis libera potestatis Dux fuit in Saxonia Henricus Ottonis pater, qui postea Germanico regno præfuit. Idque eam ob causam, ut Sclavinos arceret, diligentius autem custodiuntur, quæ propria sunt. Ne hoc jus cuiquam aliorum Præsidum concessum est. At sub Saxonibus libertatem nativitates ipsæ. Nam ut quæque plus bonorum quæ ad regnum pertinebant, habuit; ita maturius & facilius ad libertatem pervenit.* Münsterus rerum Germanicarum Scriptor scientissimus hac de re ita: *Bei Zeiten Ludovici III. welcher regiret anno 903. und vor derselben Zeit seynd Herzogen, Marggraffen, Pfalzgraffen und Ritter nur Nahlen der Aemter gewesen, und nicht erbliche Herrlichkeiten. Die Herzogthum und Graffschafften waren nicht der Herzogen*

zogen und Grafen, sondern des Reichs König und Kayser. Unter Cunrado dem Ersten ist Herzog Heinrich von Sachsen, so man nennet den Bogler, das Herzogthum in Sachsen zu einem Erb Lehn gegeben, auf daß er desto fleißiger wäre zu streiten wider die Oberriten und andere Ungläubige. Nachmals hat Otto der Erste und seine Nachkommen die obgedachte Aemter und Dörter zu Erb Lehn verliehen, und bisweilen für eigen vergabet. Also seynd mehrtheils die Herzogthümer und Graffschaften des Reichs Erb Lehn worden, etliche auch zu eigen. Es haben doch die Könige und Kayser viel Städte, Thäler, Gründe und Dörfer ihnen und dem Reich vorbehalten, und gleicherweis wie die Könige und Kayser in Teutschland haben hoch begabet die Fürsten und Herren, also haben sie auch nachmals aus sonderbarer Gnade und Mildigkeit besreyet die alte Städte, des Reichs Thäler und Flecken, denselben vergönnet eigene Regierung, desgleichen einen merklichen Theil der Zoll, Ungeldes und anderer Gefälle ihnen zugestellet. Confer Vadianum de Collegiis & Monasteriis lib. 2. Stumpfium rerum Helveticarum lib. 4. c. 50. Lehman. Chron. Spir. lib. 4. c. 1.

XXII. Hoc autem genus contractus, quo res in feudum datur, utique in alienationem incidit, siquidem vasallo aliquod dominium, quod appellant utile, a directo distinctum tribuamus. Quomodo enim Dominus in alium dominium, quantumvis utile, transferre potest, ut non alienet? Licuit ergo sub Imperatoribus Saxonis alienare res Imperii. Ergo & oppignorare. Gerlaco Archiepiscopo Otto filius Henrici Ducis Brunsvicensis vendidit Duderstet. Serar. p. 859. Et Daniel Archiepiscopus Moguntinus Comitatum Reineccanum jure feudi

Ergo licuit alienare res Imperii. Exempla alienationum ab Imp.

feudi caduci, & Koenigsteinianam ditionem titulo beneficii Casarei: Archiepiscopus Coloniensis a Friderico I. Imperatore Ducatum Angriae & Westphaliae accepit. Münster. *Cosmogr. p. 500.* Archiepiscopo Trevirensi Henricus VII. Imp. Boppardum & Vesaliam oppignoravit. Henricus II. Imp. anno 1004. donavit Dogano Archiepiscopo Magdeburgico Gibichenstein cum pertinentibus septuaginta pagis & civitate Halla & suburbio Glauche, Neumard, Lebesun, Conra. Episcopatus Bambergensis ab Henrico II. Imp. extinctis Comitibus Bambergensibus possessionem suam accepit. Episcopus Herbipolensis jurisdictionem forestalem cum jure venandi in sylva der Steigerwald impetravit. Henricus II. Imp. dedit huic Episcopatu Brül und Kedenfels. Idem Henricus II. Imp. Meinverco Episcopo Paderbornensi mortuis Comitibus Comitatum Werberg donavit. Cranz. *Metropoli. lib. 4. c. 4.* Et anno 1011. Comitatum Habold. *Hepenreich im Stammbuch p. 54.* Episcopo Tridentino donavit Imper. Conradus II. Comitatum Tridentinum cum valle venusta, ut & oppidum Bezen. Episcopatum Basileensem Henricus II. Imperator terris, arcibus & oppidis donavit. Carolus IV. Imp. Comire Strombergensi bannito ditionem Stromberg dedit Episcopo Monasteriensis. Hammelman. *in descript. Westph.* Otto I. Ludolfo Episcopo Curiensi anno Christi 959. dedit mediam partem civitatis Curiensis, totum telonium, parochias S. Martini & Hilarii & facellum Carpophori in Thrimis. Hildebaldo Episcopo Otto I. largitus est anno 980 pensionem vectigalium pontis Clavennensis in pragalia perpetuo possidendam. Reinerus ab Ottone IV. regalia accepit. Fridericus II. Imper. de Comitatu Neuburg und Scharding, ut Imperii feudis Ottonem Ducem Bava-

Bavariæ investivit, deditque eundem Comitatum cum Freistadt und Riet Rudolfus Imp. in dotem filia suæ nuptæ Henrici Ducis filio Ottoni Duci Bavariæ. Fridericus I. pagum Rebdorff donavit. Episcopus Spirensis ex munere Henrici III. Imp. Kotensfels: Henrici IV. Weiblingen und Herpheim accepit. Episcopus Ratisbonensis ab Ottonne III. Imperatore habet oppidum Pechlarn ad Danubium in inferiore Austria. Comites Palatini ab Imperio oppignorationis jure possident Lautern, Oppenheim, Nierstein, Odernheim, Zingelheim, und Unweiler. Maximilianus I. Imperator post Bellum Bavaricum loco impensarum Ducatum Neoburgicum addixit Ruperti Comitis Palatini filii. Civitatem Leisnisch cum toto districtu Henricus IV. Imper. donavit Comiti Wiperto de Groiz, cumque Imperator Alstedii comitia habuisset, redditus annuos in feudum dedit eidem Wiperto, ad trecentas auri marcas & tradidit arcem Dornburgensem cum omni pertinentia. *Chronicon Pegaviense.* Torgaviam Adolfus Imp. eripuit Comitibus de Torgau, vendiditque Anhaltinis, a quibus pervenit ad Fridericum Thuringiæ Landgravium. *Albinus in Chron. Misn.* Civitatem Culmbacensem, Hoff, Ludovicus IV. Imp. concessit Friderico II. Burggravi Noribergensi, a quo accepere Domini de Weida. *Peccensten.*

XXIII. Quod vero Matthæus Paris ad annum MCCX. de Ottone IV. narrat, quod juratus Papa, promiserit jura Imperii dispersa pro possibilitate sua revocare, itaque per sacramenta legalium hominum Imperii, dominica castella sua ad dignitatem Imperii spectantia perquiri curas, se, & quæcunque per recognitionem ad jus Imperii spectare didicisset, in usus suos converti, id minime eo pertinere

Occurrit
dubiis.

re

Matth. Paris
explicatur.

re puto, quasi jam tum Imperatori non licuerit res imperii alienare. Loquitur enim Paris de rebus, non quas Imperatores distraxerint: sed quas homines avari, injusti, alienorum raptores ad se traxerint. Quod & jam olim sub Carolo M. factum fuisse Capitulares *lib. 4. c. 34.* ostendunt, ibi: *Si quis proprium nostrum, quod investitura genitoris nostri fuit, alicui quærenti sine jussione nostra reddiderit, aliud tantum de suo proprio nobis cum sua lege componat. Et quicumque illud scienter per malum ingenium acquirere tentaverit, pro infideli teneatur, quia sacramentum fidelitatis, quod nobis promissit, irritum fecit, & ideo secundum nostram voluntatem & potestatem judicandus est*

Objectioni
occurritur
e Spec. Sax.

XXIV. Nec magis alienationem Imperatorum constringit jusjurandum, de quo Speculum Saxon. *lib. 3. art. 54.* *Cum Rex eligitur, jurejurando homagium præstat, se velle Imperii secundum suum posse jura defendere. Non enim sequitur: Qui sacramento adstringitur defendere jura, illius arbitrio non relinquitur alienatio. Defendere enim jurat non nisi contra injustas invasiones, occupationes, possessiones aliorum, tantum abest, ut hoc jusjurandum modum alienationi posuerit. Sane Urstifius Chronico Basiliensi *lib. 2. c. 6.* refert, sub Imperatore Ottone I. decretum Imperii factum fuisse, ut nullum monasterium privilegiis constructum per manus regiam in proprietatem dare liceret, quamvis monasteria in dominio Imperatoris essent. Sed id auctoritate Juris Canonici religionis, piique loci favore factum fuit.*

An Imp. solus,
an cum
Statibus

XXV. An vero solus id Imperator potuit, an cum consensu Statuum? Quod posterius plerisque, in primis
Limnæo

Limæo ad Capitul. Caroli V. arz. VI. n. 5. & 9. ad verb. alienare po-
 In anderwege veräußern, & ad Capitulat. Leopoldi tom. tuic?
 s. 7. P. p. m. 246. placet. Mihi non liquet: Nec enim
 ad rem facit, si quis objecerit, quod in Comitibus Herbi-
 polensibus anno 1216. statutum est, nullum principatum
 posse vel debere commutari vel alienari ab Imperio, vel
 ad alium Principem transferri, sine voluntate præfiden-
 tis Principis illius principatus, & pleno consensu ejus-
 dem Ministerialium. Ex hoc enim colligo, ante hæc
 comitia id in usu fuisse, hæctenus autem per sanctionem
 comitalem mutatum, ut in fraudem possessoris Princi-
 pis & sine consensu Ministerialium posthac non debeat
 licere. Ergo Principatu vacante, vel feudo ad dominum
 reuerso id licuisse consequitur.

XXVI. Porro quod Henricus VI. Herbipolensis Epi-
 scopo, Austriæ & Baviaræ Ducibus anno 1220. corporali
 fide præstira promisit, quod nunquam aliqua bona, quæ
 ab Ecclesia Laureacensi ipse possideret, alienaturus sit,
 obligando, vendendo, vel in feodando, & siquidem ali-
 cuius suggestione circumventus fuerit, quod aliqua bo-
 na prælibatæ ecclesiæ quocunque modo alienaverit id
 nullum robur firmitatis habere velit, nobis non officit.
 Id enim est ex privilegio, quod integre ex authographo
 extat apud Crusium *Annal. Suevic. part. 3. lib. 1. c. 5. fol. 19.*
 Unde sequitur, jus commune in contrarium fuisse.

XXVII. Nec desunt nobis exempla, quæ suppedi-
 tat horum temporum historia. Monasterium Alteich,
 in ducatu Baviaræ, ad Imperium pertinens, Romanoque
 Imperatori annuum canonem, quem servitium regale
 vocarunt, solverat, Advocati ejus, Comites de Pögen a
 D Roma.

Exempla
 alienatio-
 num a solo
 Imp.

Romano Imperio in feudum acceperunt, & usque ad tempora Friderici I. Imperatoris, qui monasterium una cum Advocatia, ob supervenientem inopiam Eberhardo II. Episcopo Bambergensi tradidit, possederunt: *Hundius in Metropoli Salisb. tom. 2. sub Rubrica Altaich. & prima parte deâ Bayrischen Stammbuchs sub rubr. Graven von Pogen fol. 118.* Fridericus I. Abbatiam S. Mariæ in Patavia, cum omni integritate & honore, quo ad ipsum spectare dignoscebatur &c. ad Episcopatum Pataviensem Beato Stephano contradidit, tali conventionem interveniente, ut Episcopus & ejus successores ipsi, & ejus successoribus singulis annis 40. libras Ratisbonensis monetæ Regio fisco de eadem Abbacia persolverent. Monasterium Urspergensis Philippus Imperator Berchtoldo de Neuffen oppignoravit. *Ursperg. chron. pag. m. 237. Crusius ann. Suevic. parte 2. lib. 12. c. 45.* Fridericus II. Monasterium Imperiale Obermud Nieder Münster in urbe Ratisbona permutationis contractu una cum Advocatia in civitatem Nordlingam, oppidum Oringam, ejusque Advocatiam in Episcopum Conradum Ratisbonensem transtulit. *Additionator Hundii in Metrop. Salisb. tom. 3. rub. Ober Münster zu Regensburg.* Arnolphus Imperator & Otto I. Abbatiam Imperialem Messburg in Bavaria Episcopatu Frisingensi. *Hund. Metrop. tom. 2. rub. Mosburg. fol. 504.* Henricus IV. Monasterium Imperiale Buren in Bavaria Episcopatu Frisingensi. Fridericus I. Monasterium Nieder Altaich cum omnibus pertinentiis, cumque Advocatia & Ministerialibus Eberhardo, Episcopo Bambergensi tradidit. Conradus II. Imperator Ernesto Duci Sueviæ Abbatiam Campidunensem in feudum dedit. *Wippo in vita Conradi.*

XXVIII. In cunctis hisce alienationum exemplis, nē verbum de consensu Ordinum adhibito, & mirum sit, ni unus saltem & alter scriptorum monuisset, si necessario interponi debuisset, eum contra leges vel consuetudinem fuisse neglectum. Imprimis non tacuissent Clerici historias hasce tradentes, cum satis constet, quam ægre tulerint hasce rerum suarum alienationes. Porro nec instrumento oppignorationis, qua Ludovicus IV. Imp. Advocatiam Monasterii Lindaviensis Hugoni Comiti Brigantino pignori dedit anno 1334. ullam consensus facit mentionem. Verba ita habent: Wir Ludwig von Gottes Gnaden R.R. ic. thun kund allen denen, die diesen Brief sehen oder hören oder lesen, daß wir dem Edlen Mann, Hugon Grafen zu Bregenz und seinen Erben die Begdey vor Lindaw über das Frauen, Closter zu Lindaw, verseket haben für 200. Mark Silbers ic. Anno 1364. Cum Carolus IV. Comiti de Helfenstein oppignaret Præfecturam, das Anman Amt Civitatis Buchaviensis verba instrumenti ita habent: Wir Carl ic. thun kund ic. daß wir mit wehlbedachtem Muthe, mit rechtem Wissen, und mit Kayserlicher Macht, zu einem rechten redlichen Pfanz, de eingeseket haben ic. Simile instrumentum super alio pignore ejusdem Imperatoris eidem Comiti datum, eadem formula fuit anno 1366. Eadem formula Wenceslai Imperatoris exstat über die Kellnhöfe vor Lindaw 1394. Ruperti Imperatoris 1402. Quæ singula & alia auctor deductionis Lindaviensis producit. Idem probat Privilegium Caroli IV. Civibus Francofordiensibus datum, ne liceat urbem oppignorare, quod exhibet Limnaus *lib. 7. Juris publ. c. 16. n. 14.* Cum Ludovicus IV. Imperator civitatem Egram Johanni, Regi Bohemix oppignorasset, ita ad Senatum & cives Egranos rescripsit Anno 1315.

D 2

Wir



Wir lassen euch wissen, daß wir durch gemeinen Frommen und Ehre des Reichs, und auch durch Friede und Nutz der Christenheit euch mit gewöhnlichen Dienst und Unterthänigkeit, der ihr Römischen Reich schuldig seyd, dem Hochgebohrnen Johannes, Könige von Böhme, und des Reichs getreuen Fürsten, versetzt haben

XXIX. Unde concludo, pace manium Limnæi, qui superstes pati non poterat, ut quisquam a se dissentiret, ante tempora Caroli V. fuisse Imperatoris arbitrio, res Imperii oppignorare. Et hæc nimirum causa est, quare omnes Sueviæ civitates, ut & quædam ex Rhenanis se privilegio de non oppignorando vel alienando munierint, quod Civitates cunctæ Imperiales in necessitate Imperii servarentur, qua emergente oppignorari invitæ ab Imperatore poterant, ut recte scribit *Sprengerus in Lucerna p. 228.* Neque enim verum est, quod sibi sumit Limnæus, Imperatorem nostrum Imperii esse nudum tutorem, curatorem, administratorem, adeo argumentum, quod *n. 2. art. 6. Capitul. Caroli* a tutore pupilli privati ad Rempublicam pupillam necit, ex arena vinculum est. Quod in congressu disputationis amplius excutiemus. Ergo cum Carolo V. ceptum est, jure Capitulationis, Electorum consensum requiri. *Quærit autem Limnæus tom. V. Juris publici p. m. 246.* An in ejusmodi alienationibus suæ quoque sint partes reliquis Statibus? Quod affirmat. Ego dubito.

Limnæus

refutatur.

XXX. Quamvis enim persuadere velit, ac si a primis inde Reipublicæ Germanicæ initiis ad omnia summæ potestatis munia in publicis Comitibus proceres omnes sint tracti, nulla Officialibus concessa prærogativa,

va, usque ad seculum decimum tertium: Id tamen quia est facti, specificè probare debebat. Neque enim hic conclusiuncula ex generali politica, verisimilibus & conjecturis effecta sufficiunt. In specie, inquam, probandum id erat, de alienatione rerum Imperii particularium. Quod nondum vidi præstitum. Deinde ponit quidem, at nec probat, rerum istarum particularium alienationes ejusmodi esse actus, qui ad summæ potestatis, utralis, munia pertineant. Sane esto, reliquos Proceres juri suo nunquam renunciaffe: At prius erat, ut ostenderetur, jus aliquod illorum fuisse. Longe alia ratio est, si violata Imperii jura ab exteris fuerint. Si integræ Imperii ditiones invadantur. Nam cum vindicare ea incumbere Imperatori, referre ad Proceres Imperii eo conveniebat, cum ut de ipsius cura & vigilantia constaret, tum, ut Principes, si bello forte agendum, consilia conferrent. Non ergo propter consensum ad alienationem impetrandum, sed vel notitiæ gratia, vel ob erepta Imperii jura recuperanda, & quod res bellica ad statum æque ac Imperatorem pertineret, ad hos injuria ab exteris illata referenda fuit. Extra has causas, alienatio ad comitia non pervenit. Quod exteri Reges sibi satis cautum non putarint, ni omnium Procerum consensus accesserit, ratio nimis debilis est. Non enim quæ majoris cautionis & prudentiæ sunt ideo necessaria absolute sunt. Capitulationis verba, quæ solum consensum Electorum postulant, tamdiu prout jacent, intelligi debent, donec contrarium liquido probetur. Distant enim præconsultatio & consensus a se multis oppido parafangis. Si quod aliud ante Carolum V obtinuit, id probandum est, non est enim de credendis. Sed hæc in acie disputationis validius pugnabuntur. Et satis esto, de rebus, de quarum oppignoratione agitur. XXXI.

Obj.

R.

Instantia
Lim.

Resp.

Obj.

De titulo
alienationis.

XXXI. Jam, ut promissimus thesi XVII. de ipso titulo hujus nostræ alienationis videamus. Sed numquid frustra? cum indicem sui nomen pignoris secum ferat: Minime sane. Cum in discernenda contractus specie ad intentionem & mentem contrahentium potius, quam ad nomen, quo contractus appellatur, respiciendum sit. *l. fin. C. Quæ res pign. obl. l. semper in stipulationibus 34.* ibi Decius *ff. de R. l. Menoch. lib. 1. de præsumt. q. 16. n. 7.* Exemplum est in *L. si uno anno. alias §. Papinianus. l. ex conducto. ff. Loca.* ubi contractus, quo annua pensio remittitur, dicitur & vocatur donatio, cum sit transactio. Alterum est in *L. Insulam. 6. ff. de præscr. verb.* ubi contrahentes utuntur vocabulo, vendidit, cum venditio non sit, sed articulus *Do ut facias.* Tertium in *l. si olei, 21. C. Locati,* ubi locatio vocatur, quæ secundum quosdam sit contractus innominatus. Vide Arumæum nostrum *lib. 2. decis. 5. n. 74.* Frider. Martinium *de censu c. 1. n. 152.* Valde autem dubitant Juris prudentes, de genere contractus hujus, utrum sit merum pignus, an cum pacto antichreseos, an emtio census, an venditio cum pacto redimendi, an peculiaris contractus, quem impignorationem vocari ait Martinus de jure censuum *c. 1. n. 177.* an nescio quid aliud. Etsi enim vocabula illa, *Pfandschilling, Pfandschaft, Verpfändung,* si ad juris intellectum redacta pignus sonent, tamen cum proferantur eo modo, in quo interpretatio tam juris, quam usus communis loquendi haberi potest, tum potius accipienda erit interpretatio communis intellectus, quam juris. *L. stipulatio isto 38. ff. hæc quoque. 7. ibi Bartol. de V. O. Roman. cons. 4. n. 6.* Arumæus *part. 2. decis. 5. n. 74.* *Besold. i. hes. pract. rubr. Pfandschilling.* Non enim quod scriptum, sed quod gestum est, inspicitur. *l. 3. C. plus val. quod.*

XXXII.

XXXII. Et primo quidem merum non est pignus. Ex hoc enim creditor jus percipiendi fructus non habet, adeo, ut si absque domini voluntate saltem præsumpta, pignore utatur, furtum committat. *l. si pignori. ff. de furt. Panorm. c. 1. x. depos. Sylvest. verb. pignus. Navar. 2. par. decr. c. 17. n. 204.* Et fructus perceptos, ut partem sortis in sortem imputare debet. *l. 1. C. de distract. pign. Thomas Aquinas. 22. Q. 78. art. 2. ad 8. Summenhart. de contract. q. 2. concl. 5.* Quare nec pignus dicitur, cum pacto antichreseos. Nam cum pignore non liceat frui, sine hoc pacto, hoc vero, ubi additum est, ibi creditor fructus non ut pensionem seu reditum, sed ut partem sortis accipit, quod non ita fit in Pfandschafften, palam est, nec oppignorationes Imperii pignus antichreticum constituere.

Non est pignoris contractus merus.

non pactum antichreticum.

XXXIII. Wefenbecius, qui J.Ctus Germaniæ ^{nat} ^{ex} audit, *parte 1. respons. 2. n. 90.* existimat esse contractum emtionis venditionis alicujus urbis, v. g. castri, præfecturæ, pagi, villæ, cum pacto retrovendendi. Ita & *Zasius conf. 12. n. 17. Martin. Uranius tom. 2. conf. 6. n. 3. & conf. 56. n. 5. Wehner. in obs. pract. verbo, Pfandschafft und verpfänden. Consilium Acad. Ingolstad. tom. 4. conf. Illust. conf. 12. Arum. lib. 2. decis. 5. n. 75. Georg. Eberhard. 1. conf. 54. n. 45. Besold. ibes. pract. rubr. Pfandschilling. Matth. Coler. conf. 27. & 31.* Ego vero ex eo, quod actum esse formula concepta tinniat, contractus genus investigandum fore, ut non negem: sic pignus principaliter & primario contractum esse, si verbo hoc formula fuerit usa, censeo, quamvis emtionis-venditioni quam simillimum negotium hoc esse fatear. Quisquis enim contractus in essentia talis esse putatur, qualem figura litera-

An venditio cum pacto retrovendendi.

Est pignoris species.

Probant id,
verera in-
strumenta.

literarum demonstrat. Bald. in c. 1. n. 2. de feud. dato in-
vic. L. commiss. Egregie Consultationes Saxonicae lib. 1.
qu. 52. Mynting. obs. cent. 6. obs. 70. Producemus aliquot
exempla formularum, ex quibus constet, quid acti sit.
Ea qua Ludovicus Bavarus Advocatiam Lindaviensem
oppignoravit, ita habet: Daß wir die Bogdey vor Lin-
daw über das Frauen-Closter zu Lindaw versetzt haben für
200. Mark Silbers, also, daß er und seine Erben die inne
haben sollen und mögen mit allen Rechten, Ehren, Nutzen
und Gewohnheiten, die dazu gehörend, und davon gefallen
mögend, und sind die Höffe zu Reitnaw, zu Schönaw. &c.
als lang wir oder unsere Nachkommen am Reiche die vorge-
nannte Bogdey und Saßdurch Recht, dazu gehörend von ihm
oder seinen Erben um die 200. Mark Silber gänglich wieder
erledigen und erlösen: Formula Caroli IV. Procuratori
Sueviae Comiti de Helfenstein edita: haben ihm zu einem
rechten redlichen Pfand eingesezt und versetzt das Amman
Amt in der Stadt Buchaw und die gewöhnliche Steuern,
die Sie uns jährlich von des Reichs wegen geben 2c. um
3000. Pfund guter Heller, als die im Lande gäng und gebe
sind, und soll er und seine Erben die vorgeschriebene Ampt,
Steuer, Leut und Gut inhaben und genießen, als da vor ge-
schrieben steht, als lang bis daß wir 2c. dieselben Ampt,
Steuer 2c. um sie gelösen und geleidigen. Idem cum augu-
retur fors credita, ita: daß wir uff die Pfandschaft, das ist
das Amman Ampt in dem Markte zu Alterff das Amman
Ampt in der Stadt Buchaw 2c. mit allen gewöhnlichen Steu-
ern, die sie uns und dem Reiche schuldig sind zu geben, jähr-
lichen und mit allen Nutzen, die dazu gehören, die Ihm vor-
sezet und verpfändet sind 2c. 2c. 2000. fl. von unsern sonder
Gnaden und mit rechten Wissen drauff geschlagen und ver-
schrie

schrieben. Geben und verschreiben auch mit diesem Brieff, also, daß er und seine Erben dieselbe Pfandschaft also lang in rechts Pfandweiß, ohne allen Abschlag der Nutz, inhaben, nützen und niessen soll zc.

XXXIV. Ex hisce formulis claret, primo pecuni-
am subesse creditam, adeoque ex mutuo, deinde credi-
tam esse, sub pignore in creditorum translato, tertio, ita
translato, ut ejus proprium fieret, vel irrevocabiliter;
vel revocabiliter, restituto nempe hoc casu credito, &
quarto, proprietate ita in creditorem translata, ut fru-
ctus rei pignoratae suos faciat, nec in sortem cogatur
imputare. Nihil hic obest, quo minus pignus esse pos-
sit, nempe Fiducia. Nam regulariter jure Teutonico
pignoris dominium transit in creditorem: Jure, in-
quam, Teutonico, non Saxonico solo: sed & Suevico. De
Saxonico supra dictum, de Suevico vide speculum Sue-
vicum c. 311. Erant enim, saltem sub Imperatoribus Sue-
vicis, duo regni Teutonici summa Pratoria seu tribuna-
lia Reichs, Pfalzen, Saxonicum & Suevicum. Sachsen. Sp.
lib. 3. c. 64. Schwaben Sp. lib. 1. c. 108. Fabricius lib. 1.
Orig. pag. 80. 81. Albinus in chronico Misnico tit. 15. pag. 92.
93. tit. 16. p. 204. Heiderus discursu vom Reichs Bogdenen,
p. 5. 7. 39. 40. Aventinus lib. 4. p. m. 383. n. 30. Sub Suevico
forum foriebantur Germania inferior seu Belgica, Lo-
tharingia, Burgundia, & Arelatense regnum: Saxonicum
forum competens erat, Bohemia, Moravia, Silesia, Polo-
nia, Littavia, Livonia & Prussia. Hac dere ita scribit Gol-
dastus: Nach Absterben Kayser Friederichs des II. als das
Reich viele Jahre ohne einen gewissen König gewesen, auch ei-
ne Zeitlang gar öde gestanden, ward das Reich beyden hohen
Pfalz-Graffen am Rhein und Saren, nach ihren habenden
und

Nempe ea,
quae in Cod.
Theod. Fi-
ducia.

Erant regni
Teutonici
duo summa
tribunalia.
Reichs-
Pfalzen.

E

und

und tragenden Amt befohlen, der Erz-Pfalz am Rhein das Kayserl. Hof- und Cammergericht, mit sammt der ganzen Kayserl. Hofhaltung, Regalien, und andern Königlichen Hoheiten, ausserhalb der Cron und Fahnlehn, als den obersten Richter des Reichs. Schwaben Spieg. lib. 2. c. 24. §. 2. und lib. 2. c. 144. Gülden Bull. c. 5. in pr. Carolus V. in confirm. der Handlung des Vicariats fol. 242. der Erz-Pfalz Saren das Kayserliche Hof-Gerichte zu Magdeburg. *ibid.* und im Weichbild. art. 10. Quia itaque utriusque Prætorii & Suevici & Saxonici jus in eo conveniunt, ut pignoris dominium in creditorem alienetur, constabit, opinor, quod probandum suscepimus, contractum non alium, quærendum esse, quam Fiduciam, ubicunque mentio fit einiges Pfandschillinges, Verpfändung, Pfandschaft.

XXXV Sed id pignus, ut maxime fiebat frequentissime in securitatem pecuniæ creditæ: Non tamen putandum est, soli mutuo accessisse; sed omni negotio, ubi cautio desiderabatur. Sic Strata Montanam Archiepiscopus Moguntinus Dieterus EleÛtori Palatino Fridericus oppignoravit, ob præstitum sibi auxilium contra Adolphum Comitem Nassovium, & sumtus belli, atque proinde ex causa mandati, certe Negotii gesti, tam diu possidendam donec a sede Moguntina centies mille floreni refunderentur. Quibus, superioribus annis, refusis ex dispositione Pacificationis Westphalicæ artic. 4. *S. cum autem certa.* Strata montana ad pristinum dominum rediit. Similis causa hæc fuit. Cum Ferdinandus II. Imperator summam imperii bellici nomine ligæ Catholicæ in Bavarum conferret, inter alia convenerat, ut sumtus bellici, quos facere oporteret Bavarum, & si quid dampnati sunt in summam XIII. myriadam, seu mellionum Rhe-

Pignus non
soli mutuo:
sed & aliis
negotiis ac-
cedebas.

Strata mon-
tana, Bergs-
strasse.

Rhenanorum, quos Caesar Bavaro deberet, & in securitatem Austria superior, Oesterreich Ob der Enß Bavaro pignoris nexu cedebatur. *Theatr. Europ. tom. IV. pag. 657.* Idem Ferdinandus II. Joh. Georgio I. Electori Saxoniae profumtibus bellicis oppignoravit Lusatiam, quam anno 1635. hereditario jure ei cessit.

XXXVI. Erunt autem fortasse, quibus *παράδοξον* videbitur, jus fiducia, quod jam tempore Justiniani exoleverat, inque proprio solo natalitio dudum occubuerat, Teutonico solo afferere, & ex umbris & cineribus Quiritum resuscitatum Aboriginibus nostris vindicare. Sed hi erunt fere, qui historiam juris ex fontibus nunquam curarunt imbibere: In quorum gratiam provinciam hanc in me suscipiam, ut rem ab ovo repetam. Sub Regibus itaque Italiae Gothicis, in Italia vim legis obtinuit jus Codicis Theodosiani, Cassiodoro totas ferme inde constitutiones referente. Vide Jac. Godofredum *prolegom. ad Cod. Theod. pag. 191.* qui per partes ostendit, usum hujus Codicis in Ostro Gothicis. Nam & Theodorici Edictum, quod 154. capitibus constat, totum ferme exinde collectum est, ut ipsemet testatur in fine ejusdem. Gelasius P. R. in decreto Ivonis *parte 1. c. 18.* ad Theodoricum: *Certe est magnificentiae vestrae leges Romanorum Principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse praecipit, multo magis circa beati Petri Apostoli sedem pro sua felicitatis augmento velle servari.* Ubi per Leges Romanas intelligit Codicem Theodosianum. Hinc marcus Rhemensis *Ep. 4. c. 6.* editionis Moguntinae: *Sextus decimus liber legum, quibus una cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia.* Is est 16. liber Codicis Theodosiani. Non dubium igitur est, Codicis Theodosiani usum saeculo V. tum in Oriente, tum Occidente fuisse usque dum

Codex Theodosianus in Italia regnantibus Gothicis obtinuit.

Et in Gallis, quæ adhuc Romanis suberant.

dum Justinianus in Oriente, usum ejus minueret, imo oblitteraret. In Occidente de Italia jam diximus, ubi quamdiu Gothi rerum ibi potiebantur jus Justinianum nunquam evaluit. In occidentis partibus & quidem Galliis quæcunque pars adhuc Romanis post exterarum Gentium, Francorum, Visigothorum, Burgundionum, irruptiones parebat, Theodosianis legibus constanter usa est, ut velex Sidonii Apollinaris loco *lib. 2. Ep. 1.* liquet. Scribit ibi ad Ecdicium Comitem & Magistrum militum, Anthenii per Gallias, de Seronato ex Aturibus Aquitaniæ, quæ in potestate Gothorum erant, tanquam certissima patriæ suæ peste, & injustissimo incubatore, inter cætera ita: *Exultans Gorbis, insultans Romanis; illudens Præfectis, colludensque numerariis, LEGES THEODOSIANAS calcans, Theodoricianasque proponens, veteres culpas nova tribura requirit.*

Secus in locis, ubi gentes advenz, & quid ibi.

Leges Theodosianæ diu post Justinianum valuerunt.

XXXVII. Quæ vero provinciæ in exterarum nationum jura migraverant, utroque jure regebantur. Romani enim exteris immixti Theodosianas leges retinebant. Hinc Alaricus Visigothorum Tholosæ Rex Romanarum legum collectionem instituit, quibus Romani inter se disceptarent, quam potissimum ex Codice Theodosiano, tum ex Gregoriano, Hermogeniano, Pauli sententiis, Caji institutis, atque ex Novellarum corpore per Anianum, Referendarium, ordinante Gojarico Comite, confecit, ut docet ejusdem Commonitorium. Hæc Codicis Theodosiani epitome diu post Justiniani corpus anno Domini 570. sub Clotario Rege Francorum Juvenenti Galliarum prælegebatur, ut tradit Gregorius Turonensis *l. 40. c. 41.* usque dum anno Domini 640. circiter Chindus Windus ejus usu interdiceret subditos suos *tit. 1. lib. 2.*

lib. 2. LL. Wisigothicarum. Neque sic tamen usus ejus penitus cessavit, ut Recisvindo filio denuo visum fuerit vetare. Porro Burgundionum eadem per Gallias fuit ratio, vide LL. Burgundionum *tit. 60.* Et Sigismundi Regis additamentum *tit. 1. c. ult.* Cum vero Franci rerum domini facti subactis Gothis anno 507. & Burgundionibus anno 532. & ipsi legibus Theodosianis locum reliquerunt, adeo ut Clotharius A. D. 560. constitutione sua, quæ exstat, *tom. 1. Concil. Galliarum* præcipiat, inter Romanos negotia causarum Romanis legibus terminare. Idem & reliqui Francorum Reges fecerunt, quod pulchre ostendit Goldastus, præfatione der Reichs-Satzungen. Ibi: Als Kayser Carl der Grosse an das Reich kommen, und zu Erhaltung Fried und Ruh durch alle sein Reich eine General-Reformation fürgenommen, alle Stände geistlich und weltlich in eine beständige Ordnung zu bringen, hat er auch unter andern obgedachtes Alaricianum corpus (compendium Codicis Theodosiani) der K. Kayser außs neue revidiren lassen, und Alarici commonitorio tanquam a se profecto auctoritatem legis perpetuo valituræ bey den Francken auß seiner Macht Vollkommenheit gegeben, wie zu Ende desselben Commonitorii geschrieben stehet: *Recognovimus. Dat. sub die IV. Nonas Febr. anno XXII. Alarici Regis Tolosa. Et iterum anno XX. regnante Carolo Rege Francorum & Longobardorum & Patricii Romanorum.* Hucusque Goldastus. Cum itaque Jus Justinianum in Occidentem ante Lotharium Saxonem pedem nunquam posuit, certe haut stabilem nec autoritate publica: a Francis vero penitus receptum non sit, contra vero Leges Theodosianæ in Gallis & omni regno Francorum per Carolum M. admiffæ, inque Corpore Alariciano *FIDUCIÆ* jus habeatur, quis dubitet, quin regno Teutoni-

Et quid sub
Francis.

co si non nomen, res ipsa tamen recepta fuerit. Et hinc igitur fiducia pignus Jure Saxonico & Suevico transit in proprietatem creditoris, ut supra diximus. Et hactenus de prohibita oppignoratione rerum Imperii.

Res ab Imperatoribus oppignoratae non debent relictis capitulationibus imp.

XXXVIII. Nunc videamus de retentione rerum oppignoratarum, de qua Capitulatio Caroli articulo IV.

Und in allewege sollen und wollen wir die Deutsche Nation, das Heilige R. Reich, und die Chur, Fürsten, als die fördersten Glieder desselben, auch andere Fürsten, Grafen, Herren, und Stände bey ihren Hoheiten, Würden, Rechten, Gerechtigkeiten, Macht und Gewalt, jeden nach seinem Stand und Wesen bleiben lassen, ohne Unser und männigliches Einfragen und Verhinderniß, und Ihnen dazu ihre Regalien, Obrigkeiten, Freyheiten, Privilegien, Pfandschafften und Gerechtigkeiten, auch Gebrauch und gute Gewohnheiten, so sie bisher gehabt haben, oder in Übung gewesen sind, zu Wasser und Land, in guter beständiger Form ohne alle Weigerung confirmiren und bestärigen, Sie auch dabey als Römischer König handhaben, schützen und beschirmen, doch männiglich an seinen Rechten unschädlichen. Ita & secuta Capitulationes Ferdinandi I. Rudolphi II. (Nam Capitulatio Maximiliani II. non habet) Matthiae, Ferdinandi II. Ferdinandi III. Ferdinandi IV. Leopoldi, sed haec duae posteriores cum pluribus additionibus auctius. Ubi res oppignoratae, puta antequam prohibita essent oppignorari, creditoribus manere jubentur, relictione cessante. Id quod confirmatur in Pacificatione Westphalica, art. 5. §. 9. his verbis: *Quod ad oppignoraciones Imperiales attinet, cum in Capitulatione Caesarea dispositum reperitur, quod Electus Romanorum Imperator, Electoribus, Principibus caeterisque* Sra.

Et pacificatione novissima ventantibus.

Statibus immediatis Imperii ejusmodi oppignoraciones confirmantur, atque illos in earundem tranquilla & quieta possessione defendere ac manutenere debeat, conventum est, hanc dispositionem, donec consensu Electorum, Principum & Statuum aliter statutum fuerit, observandum esse, atque propterea civitati Lindau, nec non Weissenburgo in Noricis reddita sorte oppignoraciones Imperiales ipsis ademptas illico & plenarie restituendas.

XXXIX. Ubi observandum, quod in vernaculæ linguæ exemplari, tam eo quod Lipsiæ apud *Timorbeum Ritschium* anno 1648. typis exscriptum est, quam quod in Theatro Pacis quod Noribergæ ab *Endteris* prodiit anno 1663. nec non illo quod in theatro Europæo reperitur, pag. 669. repræsentatur, insignis discrepantia reperitur, circa restitutionis Lindaviensis causam: Loco enim verborum; *Reddita sorte*, Germanicum exemplar habet, *bey Wiedererstattung vorigen Standes*, id est, *restituto pristino statu*. Quæ duo nimium quantum inter se sunt diversa. Item, quod in Latino est, *Weissenburgum in Noricis*, Germanica editio exprimit, *Weissenburg in Nürenbergischen*, pro eo, quod debuit, in *Nortgaw*. *Nortgoia* autem, ut scribit *Zeilerus in Itinerario Germanico cap. 4. pag. 109.* non solum Noribergensium ditionem: sed & civitates, *Amberg, Neumarkt, Cham* und andere zur *Obern-Pfalz* gehörige Ort, wie auch den *Egrischen* und *Elmbogischen* Kreis, item *Basreut, Creußen*, und andere *Marggräflich: Culmbachische* Ort, das *Bisthum Eichstatt*, die *Reichs-Stadt Weissenburg*, die *Gemein Stadt Weyden*, das *Sulzbach- und Hippolsteinische* Gebiet und *Landgraffschaft Leuchtenberg* &c. comprehenditur. Confer *Atlantem*, von der *Obern-Pfalz*. Ceterum

Discrepantia textus Germanici & Latini in instrumento Pacis.

Oppignoratio der *Rölnhöfe* vor *Lindau*.

terum de causa Lindaviensi ita habendum. Possederat Lindavia in insula Acronii lacus sita, urbs imperialis, per annos ducentos ab Imperio jure pignoris, advocatiam super villas Colonarias, *Rölnhöfe*, in quatuor pagis Lindaviensibus, anno 1334. ab Imp. Ludovico Comiti Hugoni Brigantino pro 200. argenti marcis, & postea anno 1364. a Carolo IV. Comitibus Helfensteiniis una cum aliis juribus pro ter mille libris Hallensibus oppignoratam, a quibus ad civitatem Ulmensem anno 1382. devenit, quæ vicissim Imperatori Wenceslao cessit, a quo anno 1394. Marquardo a Schöllenberg denuo oppignorata, eademque summa aliquoties aucta & tandem anno 1430. florenis 1300. exsolutis ad ipsam civitatem rediit. Quorum mansorum sive Hubarum nomine postea inter ipsam civitatem & Abbatissam Lindaviensem de Jurisdictione territoriali & Advocatiæ oppignorata jure lis mota fuit. Sub Imp. Maximiliano I. impetravit Lindavia, ut Hubæ istæ in posterum nec alienari, nec hypothecæ dari, nec redimi debeant, nisi ab ipso Imperatore & ad manus ipsius Imperii. Hoc vero non attento Ferdinandus II. anno 1628. Hugoni Comiti de Montfort Advocatiam istam civitati anno 1430. nomine Imperii oppignoratam, concessit, qui exsoluto urbi oppignorationis pretio non solum advocatiam, quæ sola ad Imperium spectat, sed etiam pagos cum Hubis ibi sitis occupavit. Civitas vero demonstraverat Hubarum proprietatem ad Abbatissam, Jurisdictionem ad civitatem, ad Imperium non nisi Advocatiam pertinere. Vicit itaque civitas & art. 5. Pacificationis restitui jussa est in Advocatiam, quod evenit quoque. Vide acta Londorpii continuata *lib. 4. p. 51.* De Weissenburgo autem videri potest Knippschilt *lib. 3. de Civit. Imperial. c. 57.*

Oppignora-
ta civitati
Weissenbur-
go Norico-
rum. Pro-

XL. Quæritur itaque, an hæc promissio Imperatoris de jure subsistat? Si enim audimus Joh. de Selva, & ex eo Parladorium 2. rer. quot. cap. fin p. 1. §. 7. n. 4. suadebunt, signaturas, quas dederit Papa antequam exeat de conclavi, ubi electus est, nullius esse momenti. Cui consonat, quod scriptum est apud Palatium Rubeum *in rubr. de donat.* irritas fore donationes, quas in primis sui Principatus auspiciis Rex fecerit, si in suæ dignitatis, reive publicæ dispendium cedunt, quem refert & sequitur Nevizanus *in sylv. nupt. l. 6. n. 55.* In his ergo casibus suadent iudicibus, ne statim exsequantur, sed ad Regem ipsum referant, secundamque expectent justificationem. Et quamvis alii hoc putent accipiendum, nisi in Regiis literis adjecta fuerit clausula: *Ex certa scientia; Proprio motu; Potestate absoluta; legibus non obstantibus,* de quarum clausularum vi, vide Dn. Præsidis *Lexicon particularum*, in, *Motu proprio*, & ; *Non obstantibus legibus.* Minuendam tamen esse hanc sententiam Parladorius censet. Id quod eo firmiter concluditur inde, quod Imperator in Capitulatione juret, sich aufs höchste zu bearbeiten, und allen möglichen Fleiß und Ernst fürzuwenden, dasjenige, so vom Reich abkommen, als verfallene Furstenthum, Herrschaften und andere, auch confiscirte und unconfiscirte merkliche Güter, die zum Theil in anderer fremder Nation Hand ungebührlicher Weise gewachsen, zum förderlichsten wieder dazubringen, zueignen, auch dabey bleiben zu lassen. *artic. 9. Capit. Car. V.* Quomodo ergo jurans oppignorata se revocaturum esse, jurare poterit, se non passurum ut revocentur? Præsertim cum necessitatem revocandi demonstrat Julius Pflugius, Episcopus Naumburgensis in celebri oratione de Republica Romana, quam Goldastus inservit politicis Imperialibus,

missio an
sit valida,
quæ ab Im-
peratore in
Capitula-
tione fit,

Rat. dub.

bus, ubi in primis vectigalia & cætera pignora revocari suadet.

XLI. Sed & Nicolaus Cusanus *lib. 3. de concord. Cath. c. 30.* in specie hoc ulcus tangere videtur, his verbis: *Est insuper alia imperii destructio: quoniam cum Imperator solum administrator in utilitatem Reipubl. existat, sæpe per pacta Electorum sua quærentium intrat regimen. Et occupata contra jus imperialia, ob jusjurandum repetere non audet, telonia gravantia Kempubl. deponere, ac alias utiles ordinationes facere, & per antecessores inconsulte absque omnium conventu amoris inordinati aut affectionis vel sanguinis tam in præjudicium imperii donata vel impignorata revocare inibetur. Et sic fit, ut dum Electores sua quærent, ira sibi credita potestate abutantur, quod eis concessa potestas pro bono imperii in ejus destructionem converratur. Quoniam Imperatores non debent permitti ab ipsis facere alienationes præjudiciales, Imperatori ipsi assistere deberent, ut semper Augustus esset: sed quia eum ligant, ne ipsis donata vel obligata aliquando fidele, vel per consanguineos aut parentes, qui imperio præfuerunt: tacent dum idem facere vident Imperatorem, ne se ipsos damnent. O cæcitas maxima: non credant principes de bonis imperii divites ferri, & permanere aliquamdiu? Curantibus enim omnibus sua augmentare; imperio ad nihil tendente: quid sequitur, nisi universorum destructio? Quoniam non existente potentia majori conservativa, & pacativa imperii invidia, eademque semper crescente cupiditate, bella, schismata, divisionesque faciet, & tunc sicut omne regnum in se divisum desolabitur inique collectum. Decipiuntur itaque Principes sub imperio, dum ob illum finem attrahunt & colligunt undique imperia-*

imperialia ut potentiores & fortiores fiant: quoniam postquam rotam capitis & imperii potestatem membraque laniaverint & deglutiverint, desinet hierarcicus ordo: non enim est primus, ad quem concurratur. Et ubi non est ordo, ibi est confusio, & ubi confusio, ibi nullus tutus. Et sic nobilibus inter se altercantibus jus omne in armis propriis quærentes surgent: quoniam sicut principes imperium devorant, ita populares devorabunt Principes.

XLII. Si jurat ergo Imperator Imperii beneficia seu feuda Imperio vindicare, quomodo jurare poterit, effecturum, ut possessores ea retineant? Nimirum Articulus IX. de duobus caver, alterum est, ne Imperator res Imperii donet, hypotheca supponat, oppignoret, & quibuscunque modis alienet. Alterum, ut quæ Imperio subducta, avulsa, inde alienata recuperare velit. Prius illud prohibet in futurum, adeoque articulo tertio non obstat, qui de præterito quid habendum circa res Imperii pignoratas statuit. Posterius, quid juris circa jam alienata statuit, ut ea nempe Imperator recuperet: Sed quænam illa? Non sane quæ Status Imperii justo titulo ab Imperatore possident. Hæc enim in fine §. 9. diserte excepta intelliguntur per verba: doch männiglich an seinen gegebenen Privilegien, Rechten und Gerechtigkeiten unerschädlich. Nec alienata extra Imperium sunt, quam intra Imperium ab Ordinibus aliquibus possessa teneantur. Sed ea quæ Imperio subducta se vom Reich abkommen, versallene Fürstenthume, Herrschafften, & hujus generis alia, caduca, extincta, vacantia, ut & fisco vindicata, & quidem si alicujus pretii, merkliche Güther, & in manibus exterorum injuste ungebührlicher Weise detineantur. Et de his intelligendum puto privilegium Comiti Palatino

Solutio dubii circa articulum nonum capituli.

Comitis Palatini privilegium.

tino Electori datum, & a longo tempore quaesitum, aequae Caesaribus confirmatum, ut loca & dominia Imperii a Caesaribus extra Imperium alienata & oppignorata ipsi eodem pretio, eisdemque conditionibus reluere & redimere liceat, ut scribit Freherus. *Orig. Palat. c. 16.*

Jus retinendi ad quae pignora pertineat? Reluabilia an irreluabilia? Limneus ad non reluabilia refert,

Sed mutat sententiam.

XLIII. Quaesitum & hoc memini, utrum jus retinendi pignora pertineat ad res, quae vel ex conventionem relutionis sunt expertes, vel de quarum etiam relutione in instrumento nihil fuit expressum, *ven unablößlich, oder solchen Pfandschaften, bey denen keine Wiederlösung bedinget worden.* An vero & ad eas, quae relutioni sunt obnoxiae? Limneus ad Capitulationem Caroli putat, quaecunque nomen pignoris, Pfandschaft, habeant, relutionem admittere, idque per naturam pignoris. Igitur confirmationem ab Imperatore factam non posse relutionem impedire. Non enim confirmationem extendi ad non expressa in confirmato. Diversa esse oppignorationem confirmare, & relutionem pignoris tollere. In Capitulationibus §. 4. confirmari oppignorationes: In §. vero nono immunitatem a relutione ab Imperatore, sed cum consensu Electorum tribui: Sed mutavit sententiam propter Pacificationis recentioris *art. 5. §. 9.* Sed etsi absque Pacificatione esset, rationem Limneum fugisse facile ostendi possit. Nam ne res, quas constat relutioni obnoxias non esse, reluantur, non opus erat Capitulationis speciali provisione, cum id, quod actum esset, ostenderat ipso & mero jure possessores tutos esse, & si de facto injuria afficerentur, ab tribunal ordinarium recurrendum. Ideo recte scribit Daniel Heiderus *in deductione Lindaviensi pag. 447.* *Daß die Stände des Reichs solche pignoratitias confirmatio-*

mationes aus mitgefolgter observanz bisher dahin verstanden, daß sie den ohnwieherrlichen allodial und feudal Regalien, Obrigkeiten, und Privilegien, unter denen sie in confirmationibus promiscue gesetzet und erzehlet werden, disfalls gleich zu achten, und derentwegen von confirmirender Kayf. Maj. selbst nicht zu reluiren, oder wieder aufzubeben seynd, bevorab diejenige, welche nicht von hoher Würdigkeit zc. zumahlu auch in eines Standes Reichs Aufschläge gebracht worden. Falsum autem est, quod confirmatio §. quarti tantum contractum pignoris confirmet, ut Limneo videtur. Imo possessionem: Verba: Bey ihren Rechten, Gerechtigkeiten bleiben lassen, &, Sie auch dabey als Römischer König handhaben, schützen und schirmen. Quo magis mirer iudicium Limnei, qui cum propter verba Pacificationis mutasse sententiam fateatur, mutare tamen propter verba Capitulationis noluit, quæ eadem sunt, atque verba Capitulationis. Capitulatio: Ohne alle Weigerung confirmiren und bestätigen, sie auch dabey handhaben, schützen und schirmen. Pacificatio: Confirmare atque Status in earundem tranquilla & quietâ possessione defendere ac manutenerere.

XLIV. Postquam naturam & genus contractus huius & alia id genus vidimus, nunc effectus etiam quosdam paucis pro instituto delibabimus. Et quia demonstratum a nobis est, dominium pignoris in accipientem transire, consequens est, ut & fructus perfecte faciat suos pignoris novus dominus. *Dd. in l. 2. C. de pact. int. emt. nec in sortem eos imputare tenetur. Mart Uranius tom. 2. consl. 56. n. 5.* Non minus enim est dominus pleno jure, a quo revocari potest aliquo casu fundus, certa lege

Pignorati-
tius dominus
seu creditor
facit fru-
ctus suos.

redhibendus. Tiraquell. *ad l. si unquam C. de revoc. don. n. 36. & seqq.* Wesemb. *con. 2. 109. n. 75. & conf. 123. n. 13.* Est enim regulare, ut fructus dominium sequantur. Argol. *conf. 55.* Nec ad rem facit, quod in pacto additionis in diem, ut & legis commissoriae fructus restitui debeant: quoniam in oppignoratione non fit resolutio contractus ipso jure, sed demum impleta potestativa conditione, exercitia nimirum lege relaxationis. Tiraqu. *de retr. convent. §. 2. gloss. 1. n. 39. & seqq.*

Res pignora-
rata est sub
jurisdictione
domini
pignoratitii.

Quid in ap-
pellatione?

XLV. Porro quia res pignoratata transit cum omni causa in creditorem, qualis fuit apud pignoris dominum den Pfandsherrn, ideo si res Imperii oppignorata fuerit, quaeritur, an jure aliarum provincialium rerum jurisdictione territoriali subjiatur? Sane per hanc translationem non solum dominium, sed etiam exercitium & commodum jurisdictionis, si qua eo loci fuerat, in rem pignoratam acquiritur. Concesso enim territorio universali concessa est quoque omnis Jurisdictio, ut notant Dd. Butrio, Jason & alii in *l. 1. & l. imperium. §. 1. de Jurisd. late Baldus cap. 1. de Capitan. qui curiam vend. n. 1. cum seqq.* Sed quid in causa appellationis creditore habente privilegium de non appellando. An ad Cameram nihilominus appellabitur? Viderur ita, quia alienatio rem cum ea causa transfert, qua esset futura, si apud eum, qui alienat, res mansisset. *l. 18. §. 2. ff. de pign. act.* quod in omni alienatione res ejusque causa sic transit, qualis esset futura, si apud eos mansisset. *l. alienatio. 67. ff. de contr. emt. l. traditio. 20. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* Quia translatae adhuc idem esse creditur. *l. filio quem. ff. de lib. & post. Azevedo lib. 9. Const. Hisp. tit. 17. l. 2. n. 41.* Sed in confessio est, quod ante oppignorationem

nem immediate ad Cameram appellare potuerit: Privilegium autem de non appellando ad Cameram contra Imperii supremiorem ab Impp. concedi non possit: sed fit ipso jure nullum. Nulla enim pragmatica sanctio, nulla sacra annotatio, quæ juri generali adverfatur, valet. *l. fin. C. si contra jus vel util. Panorm. in c. cum non liceat. n. 16. in fin. de prescript.* Ubi dicit, quod Imperator non possit concedere privilegium omnimodæ exemptionis, quia esset lacerare imperium, & abdicare a se Jurisdictionem, quod non esset possibile. *arg. l. pen. §. 1. de Offic. Præs. Vid. Gilman. tom. 1. lib. 2. tit. XI. voto. 5.* Hinc in oppignorationibus Austriacis appellationes Camera recipit apud Meichsnerum *tom. 3. decis. 26. ibi. Non puto obstare privilegium Austriae, nam responderur, Cameram ab antiquo esse in contraria possessione, appellationes am Landgerichts interpositas recipiendi. Confer Gilman. tom. 2. part. 2. vot. 8. Wehner. tom. 6. Symphorem. c. 2. n. 1.*

XLVI. Sed hæc opinio non est tuta, Jurisdictio enim computatur in fructu rei. Ideo ad creditorem, tamdiu pertinet, donec ad pristinum dominum revertatur. *Vid. Wehner. tom. 2. Symphor. c. 7. p. 219. & in Observat. Pract. Rubr. Pfandschilling. p. m. 551.* ubi adducit exemplum civitatis Oppenheimii, cujus judicium, ut ut Imperii esset, tamen appellatur ad Palatinum. Et sic judicium refert in causa Mainz contra G. Keeras und Consorten, daß die Sache durch geschene appellation ans Kaiserl. Cammergericht nicht erwachsen, sondern ans Chur. Pfälzische Hofgericht gehörig. Idque tanto firmius nunc concluditur, ex quo perfecta & inamiffibilis alienatio pignorum per Capitulationem & Pacificationem facta est, per quam res pignoratæ unitæ irrevocabiliter sunt de territoriis tenentium eas, Inseparabilis autem unio

unio rem ejusque naturalem alterat, & priorem quasi confusione quadam extinguit *per text. in Nov. 8. c. 2. & l. 20 §. tyranna. ff. de instr. vel instr. leg. Bart. ad l. 36. C. de Appell. in fin.* Quemadmodum de Comitatu Valentiniensi & Diensi judicat Guido Papæ *decif. 265.* Qua de unione, augmento & accessione Doctores passim tractant. Baldus *in cap. 1. §. præterea Ducatus, in questione, qua incipit: sed quid si Marchionibus & c. circa fin. de probib. feud. alien. per Frid. Bartolus in L. in insula. ff. de A. R. D. Guiliel. de Cuneo in l. si convenerit. ff. de pignor. act. Jason. in l. fin. vers. ad prædicta. C. de V. S. Et l. quod in rerum. 24. §. si quis post. 2. in 1. nota. ff. de Leg. 1. Præpositus in c. 1. §. fin. de invest. de re alien. fact. Roman. cons. 343. & 383. Molinæus consuet. Paris. §. 7. n. 32. Guido Papæ. *decif. 489.* Covarruvias *Pract. Quest. c. 1. Arvedo lib. 6. ad Const. Hispanit. 2. Rubr. n. 215. Angelus. cons. 247. Socin. junior cons. 28. n. 21. Cacheranus decif. 22. n. 1. Choppinus lib. 1. de LL. Andium c. 62. n. 3. & lib. 2. qu. 3. c. 1. tit. 1. n. 3. & 4. Craverza de antiqu. temp. par. 4. c. 1. n. u. & Consil. 454. Decianus cons. 32. n. 29. lib. 2. Natta consil. 636. n. 88. Decianus responso 123. n. 69. vol. 3. Regner. Sixtinus consil. Marburg. 14. n. 91. 98. 108. Card. Tuschus. *Pract. Concl. 229. & sequ. & conclusionem 242. verbo: Unio & unita Ecclesia. Impri- mis Vietor, de caus. exempt. concl. 19. & lib. 1. class. 4. c. 17. a num. 95. Quod diximus de Jurisdictione, idem etiam circa reliquas qualitates & onera dictum puta.***

Jus patro-
natus rei
oppign. an
in pignora-
titium trans-
cat?

XLVII. De jure Patronatus quid statuendum? Id in creditorem non transire. *c. cum. Berroldus. x. de re jud. & ibi Abbas num. 7. ait, hunc intellectum esse verum & communem. Sed juvat speciem ejus Decretalis collata collectione tertia pressius intueri. Bertoldus quidam miles*

miles curiam suam in Westhusen (ita enim legendum, ut compilatio III. diserte præfert) cuidam Pelegino, qui & ipse miles, pignori dedit, excepto sibi nominatim jure Patronatus in Ecclesia in hoc fundo constructa. Eodem P. sublato de medio Artongus nepos ejus, qui successit eidem, Argentinenſis diceceſeos vacante Ecclesia ejusdem loci in Westhusen afferens, quod jus Patronatus eum universitate transivisset in eum, Brunum Clericum ejusdem diceceſis ad preces bonæ memoriæ C. Argentinenſis Episcopi (forte Conradi de Himenburg sexagesimi numero Episcopi Argentinenſis) ejusdem loci Archidiacono præsentavit & instituit. Bertoldus, dominus feudi, afferens se retinuisse expresse jus Patronatus fundo obligato T. sacerdotem memorato Episcopo præsentavit: Sed Episcopus admittere noluit. Mortuo Episcopo dictus T. egit adversus Brunum Clericum coram Argentinenſi Electo, a quo appellatum est ad Rhemenſem Archiepiscopum Cardinalem, tunc Episcopum Prænestinum, Apostolicæ sedis Legatum. Is fuit Guido ex Abbate Cistericenſi Cardinalis, de quo in Capitulo: *Dilectus x. de Offic. Legat. &c. Dilectus x. de Præbend.* Archiepiscopus absolvit Brunum. Causa denuo subdelegatis mandatur, a quibus Brunus ad Pontificem appellat. Pontifex dicto T. adjudicat Ecclesiam, quia constabat eum fuisse præsentatum a vero Patrono, nempe a domino feudi, cui in hærebat jus Patronatus.

XLVIII. Ex his constat, male Doctores negare, jus Patronatus non transire in creditorem pignoratitium cum universitate. Casus enim dicti cap. est de exceptione, nec regulam infringit. Exceptionis justitia in eo est, quod Bertoldus oppignorando fundum nominatim sibi refer-

G

refer-

reservasset jus Patronatus. Ergo eo non reservato transfisset cum universitate *c. cum seculum &c. ex literis x. de Jure Patron.* Quare contracto secundum mores Germaniæ pignore & per universitatem dominio translato, etiam jus Patronatus transfertur. Confer Finckelthuisium *de Jure Patronat. c. 5. n. 11. & seqq.* Dissidentes autem, inter quos est auctor Consiliorum Andreae Gallo adscriptorum *part. 2. conf. 16. n. 8.* loquuntur de pignore, cujus dominium in creditorem non transit. Vid. Cujac. *ad d. c. 18. x. de sent. & re jud.*

XLIX. Quæritur & hoc, cui competat jus confiscandi re pignorata, debitori an creditori? Videbatur debitori, cum sit inter regalia, quæ nisi specialiter exprimantur, non transeunt. Nam Princeps non potest alienare regalia per verba generalia, sed specialibus opus est, ut in *l. 1. C. ne sine juss. Princ. c. sedes 15. x. de Rescript. Socin. Conf. 123. lib. 4. Gravetta conf. 95. n. 10. Zafius epist. feud. par. 5. n. 11. Bald. & Alex. in l. 1. ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisd. Riminaldus in l. imperium ff. de Jurisdic. Sed & hic videndum quid acti sit. Regalibus enim in genere oppignoratis, saltem mero imperio, nisi bonorum publicatio consignate excepta sit, & hæc quoque transit. Cui enim competunt Regalia eidem & Fiscalia. Confiscatio enim bonorum debet competere domino altæ justitiæ, ut loquuntur Subbasilicani. Chassan. *rubr. 2. de confisc. §. 1. pr. n. 40. Matth. de Afflic. c. 1. §. si quis aliquem n. 16. de pace revenda. Vid. Argentoratenses. conf. 1. q. 1.**

L. Quid vero? pignoratus dominus an poterat religionem reformare, mutare, aliamve inducere? Hanc quæstionem ventilant jam dudum Dillingenses Juri, si modo

modo Jcti fuerint auctores. in compositione Pacis c. 6. §. 39. inque negativam ivere; siue Status aliquis Augustanæ Confessioni addictus civitatem oppignoratam reformare, siue ipsa civitas subditos suos ad confessionem Augustanam reducere velit, quos sequi videtur & Besoldus *Theaur. Pract. Rubr. Pfandschilling. §. ac notandum.* Sed ex Pacificatione Westphalica videtur dominum utilem seu pignoratitium creditorem reformare potuisse. Dum enim disponit *artic. 5.* quod Dominus directus in terras antehac pignoratas, & demum ad se reversas suæ religionis exercitium publice possit introducere, apparet dominum utilem antea aliam religionem introducere potuisse. Quod apud Augustanæ confessionis ut & Reformatos Ordines tando probabilius, quia religio territorium sequitur. At diximus supra res pignoratas uniri territorio pignorantis. Quid? si in reassicurata investitus creditor, jure feudi ut teneret, An reformandi jus habebit? Ita videtur. Cum enim per feudum utile dominium territorialis potestatis transferri possit, utique etiam transferetur religionis exercitium juri territoriali inhærens, quod concedunt Dillingenses *qu. 39. num. 91.* Sed hodie post novissimam pacificationem si Pontificus vel Lutheranus Status religionem pro se mutare velit, alterutramque harum religionum amplecti, tenenda sunt regulæ Pacificationis, quod id ei liceat: Sed incolæ & subditi non coguntur solum vetere, aut suam religionem, in cujus, quacunque anni 1624. parte professionem exercuerunt, deserere. Quod si Lutheranus Status ad Reformatos, vel hic ad illos transeat, neuter horum suæ religionis exercitium in territorium introducere potest: sed suæ conscientiæ solus ipse relinquitur.

Quis teneatur specificare res pignori nexas, dominus pignoris, an pignoratitius?

Exceptio.

LI. Sed ut tandem finiamus, quaeritur, quis indicare vel designare teneatur, quæ & quot sint illa res, quæ pignoris nexu domino pignoratitio oppositæ habeantur? Ubi Dd. pro regula tradunt, quod Vasallus, emphyteuta, vel quisquis denique confiteretur, se ab alio possidere, ad id teneatur, alioquin omnes res, quas ipse tenet, præsumuntur ex ista causa teneri. Hostiens. in *Summatit. de Feud. §. Quibus mod. vers. Quid si vasallus*. Alber. de *Rofate in l. Titius. 2. 2. 2. de act. emt. Per l. fin. ff. de pignor. act. Nov. XVII. c. 8. l. forma. 4. In verbis. Referatur & nomen fundi. ff. de censib. l. si quis argentum. §. si vero redditum. C. de donat.* Hinc compellatur ad designandos fines, si non obtemperat, intelligitur in dolo esse. Jacob. de S. Georg. *de feud. n. 12. verb. dictique vasalli promiserunt. Wehn. conf. Franconi. 72. n. 7. verb. adducitur hæc ratio.* Sed fallit regula quando ipse possessor in probabili versatur ignorantia. Alvarot. *in c. si vasallus. n. 10. si de feudo fuer. controuv. Zasius, Epir. feud. pag. 7. n. 25. And. de Ifern. §. illud. quoque n. 4.* Quo Casu si adest expressio generalis pertinentiarum vel unico manso satisfieri potest, donec dominus plures pertinentias probet. Rosenthal. *de feud. cap. 12. concl. 15. apr. & n. 21.* Maxime si possessor rem per triginta annos possedit ut suam. Thoming. *vol. 1. consil. 10. n. 43.* Sed & possessorem hac demonstrationis necessitate liberari Dd. communiter volunt, si jurato affirmaverit, se demonstrare id non posse Jacob. de S. Georg. *de feud. ver. dictique vasalli. n. 15. ad fin.* Richard. *conf. feud. 6. n. 65. Rosenth. de feud. c. 8. q. 33. n. 4. in & glos. lit. B. Dn. Tubingenses consilio 180.* Et hæc quidem hæctenus

FINIS.

Gene-

GENEROSO
DN. DISPVNTI,
amico & conuictori:

Ad laudem multi exemplo gressantur honesto,
Hic virtute sua; Hic nobilitate sua:
Nam quibus & vultus, cerasque negavit avorum
Ortus, eos virtus nobilitare potest.
Qui satus es generis natalibus inclutus, æquas
Sanguine avos, studiis fed superare potes!

*Hiscæ paucis, Majore mentis affectu, quam versus
profectu applaudit*

STRAVCHIVS,
PRÆSES.

Nusquam res tuta est: agnoscunt PIGNORA fata
Principis, unde labor sceptrâ rulisse bene.
Hoc jam perpendis PIGNVS, Generose Themista,
Pergito, coficiet fertile PIGNVS honor.

*Generoso atque Strenuo Dn. à Brösigke, Fautori &
Amico suo honoratissimo
scribet.*

IOHANNES GEORGIVS
SIMON, D.

A Monsieur
Monsieur JEAN GEORGE DE Brösfige,
lorsqu' il defendit genereusement les theses
de la dispute.


MADRIGAL.

*J*amais le Diamant
Ne fût plus éclattant,
que lorsqu' en or bruni on le vid enchassé:
Jamais ses feux ardents n' eurent plus de clarté.
Jamais un bel esprit
ne fût plus accompli,
Ny s' attira mieux des mortels les amours,
que quand en un beau corps il eût son beau séjour.
Jamais qui sont sortis d' une tres noble race
N' eurent meilleure grace,
Que lorsque à la sagesse
Eût part à la noblesse,
Et qu' on vît celle cy triompher au parnasse.

Voicy, MONSIEVR, les marques d' une amitié
inviolable, que doivent à vos merites,
Vos tres-humbles serviteurs les pensionnaires chez son
Excellence

Monf. STRAVCH.







Jena, Diss., 1671 Si-8


ULB Halle


3

005 360 692



Vb 17





1671, 39^a
20

DISSERTATIO IVRIS PVBLICI
DE
**OPPIGNORATIONIBVS
IMPERIALIBVS**
(Von Reichs-Verpfändungen)

Ad
Capitulationis Cæsareæ §. 3, 9. & novissimæ
§. 12. Nec non ad Pacificationis articulum V. §. 9.

QVAM
PRAESIDE
DN. IOANNE STRAVCHIO
ICto, Serenissimorum Saxoniz Ducum, nec non Celsissimi
Principis, Dn. FERDINANDI ALBERTI, Ducis Brunsvicensis & Lune-
burgensis &c. Confiliiario, Facultatis Iuridicæ Seniore, Curiz Pro-
vincialis atque Scabinatus Affectore gravissimo

*DOMINO PATRONO, DOCTORE AC HOSPITE
SVO AETERNVM COLENDO, SVSPICIENDO*

publico examini submittit
IOANNES GEORGIVS A BROESIGKE
EQ. MISN.
Ad diem 27. Sept. M DC LXXI

VITEMBERGAE, IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICH
recusa 1743

KOENFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE

Januar 1671

